

AD LIBRI III.

DECRETALIUM
TITULUM XXXVIII.

De Jure Patronatus.

TRACTATUS.

PRÆFATIO.

NON habet opus commendatione hujus Tituli utilitas: satis quippe seipsa ostendit. In usu enim rerum & quotidianis experimentis versatur. In tractatione verò hanc methodum observabimus, ut Jus Canonicum cum Jure Civili, quantum licebit comparemus: nec enim tantum in *hoc Tit.* sed in omnibus ferè Titulis & tractatibus, Juris Civilis cum Canonico conjunctionem non tantum ad ornatum & illustrationem, sed etiam ad difficiliores nodos solvendos perutilem, imò necessarium reperiemus. In hoc verò *Paratitulo*, Juris Patronatus originem, diversas appellationes, definitionem & divisionem trademus. Et quidem primùm convenienter instituto nostro repetemus ex *Jure Civili*, quæ vel ad originem Juris Patronatus patefaciendam, vel ad emergentium controversiarum decisionem pertinere videntur.

Notissimum quidem est *Jura Patronatus* primū concessa & indulta fuisse ædificatoribus, fundatoribus vel instauratoribus Ecclesiarum, Oratoriorum, Capellarum, Monasteriorum, sacrorum denique omnium locorum, id est dicotorum Deo & Sanctis; vel etiam fundatoribus & instauratoribus locorum venerabilium, qualia sunt *Orphanotrophia*, *Xenodochia*, *Nosocomia*, *Gerontocoma*, *Collegia*, & hujusmodi loca venerabilia, quæ locis sacris solent adjungi, & iisdem privilegiis donari. De quibus etiam statim agitur in *Codice post Titulum de sacrosanctis Ecclesiis*, nempe sub *Titulo de Episcopis & Clericis*: quia nimirūm sicut Episcopi in Ecclesiis & loca sacra & religiosa in eorum diœcesi posita, jurisdictionem, observationem & inspectionem habent: ita & in omnia hujusmodi, quæ supra retulimus, venerabilia loca notissimum est *Jus* obtainere. *Juris Patronatus* subobscura quædam vestigia in *Digestis* licet indagare. Et quidem si quis opus publicum suâ pecuniâ & liberalitate vel excitasset à fundamentis, vel ab alio ædificatum, & vetustate collapsum instaurasset, aut exornasset; operi perfecto vel restitu-

to nomen inscribere poterat : non eratis tamen, si restituerat tantum, sed manentibus priorum titulis, qui ea opera fecerant L.2. §. ult. L.3. §. ult. & Lege ult. §. ult. ff. de Operibus publicis. Idem erat si vel aram, vel statuam, aut signum Deo poneret. Solebat enim cum nomine illius Dei, nomen ponentis & dicantis aram vel signum subscribi Lege Titia §. ult. ff. de auro & argento legato. Quod & ex veteribus inscriptionibus facile colligitur. Hygenus in fine lib. de limitibus agrorum ait, In finibus coloniarum in honorem Conditorum aras inscriptas fuisse nominibus eorum. Nec tantum qui opera publica, aras & statutas, sed & qui ludos vel certamina publica in honorem Deorum instituebant ; eos suo nomine appellabant, & suo nomine celebrari præcipiebant, certâ formâ, legibus & conditionibus præscriptis. Sed etiam sibi & hæredibus, vel quibus liberat, in institutione nominatim cavebant, ut hujusmodi ludis præcessent, tanquam Agonothetæ Lege 6. & 21. §. 3. & Lege penult. ff. de annuis legatis, & in elegantissima specie Legis Septitia ff. de pollicit. in qua Modestinus respondet, quo casu certaminis editio licita est, formam pollicitationi datam servandam esse. Et ut eorum voluntas accuratius observaretur, addere solebant hanc clausulam ; ut si conditionibus adscriptis Respublica non parceret, hæredes pecuniam sibi haberent. Quæ clausula necessaria erat ; alioquin hæredes solutæ pecuniæ repetitionem non habebant, sed in alios usus publicos convertebatur, ut Interpretes notant ad d. Legem 21. ff. de annuis legatis.

Qui verò templo & ædes sacras exædificabant, ipsi Conditores, præcunte solemnia verba Pontifice, postem templi tenentes, consecrationis verba nuncupare solebant, simulque formam & modum sacrorum peragendorum, certasque leges & conditiones imponere solebant, quas in tabulas vel columnas inscribebant, ut pluribus docuit doctis. Brissonius in Formulis.

Consequens est, ut propriè accedamus ad Religionis Christianæ protectores & defensores, Imperatores; eorumque constitutiones de Jure Patronatus indicemus. Veteres quidem Interpretes Latini non aliunde Juris Patronatus originem repetunt, quam à Justiniani Novellis 57. cap. 2. 58. 67. cap. 2. 123. cap. 18. & 131. cap. 7. & 10. Quamvis multum ante Justinianum Zeno Imperator de Jure Patronorum, sive fundatorum Ecclesiarum, velut jam obtinente, constitutionem ediderit, quæ numeratur ordine 15. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis : licet non integra extet, sed ejus tantum epitome ex Nomocanone Photii tit. 2. cap. 2. de Ædificatione Ecclesiarum : licet & aliam, breviorem epitomen ex synopsi Basilicæ habeamus ; quam & Cujacius retulit lib. 12. Observat. cap. 28. cuius Legis sententiam, quia singularia multa continet in favorem Religionis, referemus. Qui donaverat aliquid mobile vel immobile, Ecclesiæ ædificandæ, Oratori, Xenodochii, vel cuiuspam sacri aut venerabilis loci gratiâ, ultrò & sponte, non aliquâ causâ præcedente, sed solius liberalitatis exercendæ causâ ; quamvis ex una tantum parte voluntas donantis, vel potius pollicentis processisset, nō ratiōne, nullo scilicet donationem accipiente & ratum habente (*sans acceptation de personne* ;) ita ut intra pollicitationis formam & modum consisteret ; imò quamvis opus nondum inchoatum fuisse : valebat tamen hujusmodi pollicitatio, dummodo insinuata fuisse. Quod ita intel-

AD L. III. DECR. T. XXXVIII. DE JURE PATRON. 251
ligendum ex posteriori *Lege Justiniani* 19. *eiusdem tit.* si summam quingentorum solidorum excederet. Favore quidem Reip. & Municipiorum receptum antea fuerat, ut nasceretur actio ex pollicitatione, si quis opus publicum facturum aut pecuniam in eam rem daturum polliceretur: quod sub hac conditione intelligendum, si causa justa pollicendi intercederet, vel si operi manum admovisset pollicitator. Nuda enim pollicitatio non obligat *Lege* 1. §. 1. & seq. ff. de *Pollicitationibus*. Favore tamen Religionis, quanvis nulla causa subsit, necdum opus inchoatum fuerit; nihilominus in casu dicta *Legis* 15. obligatio & actio nascitur, id est conditio ex *Lege Zenonis*, quæ hoc jus singulare induxit, per quam & ille qui promisit & ejus hæredes Ecclesiam, Oratorium, vel Xenodochium perficere compelluntur: ad quod faciendum ab Episcopis & Oeconomis Ecclesiarum compelli possunt: quibus peractis universa administratio postea procedet secundum leges & conditiones à fundatoribus impositas. Quod & pleniùs confirmatur à Justiniano in *Lege* 46. *Cod. de Episc. & Clericis*; ut nempe in posterum statuere possit fundator, quos Curatores & Oeconomos Ecclesiæ, vel Xenodochii præficiat. Quod si super his rebus nihil expresserit, ad curam & inspectionem Episcoporum pertinebit: qui quidem si per negligentiam, gratiam vel aliquod aliud vitium ad executionem voluntatem fundatoris non perducant, ad Metropolitanos cura devolvitur: & postremò popularis actio datur cuilibet privato, per quam fundatoris voluntatem hæredes cogantur implere. Quæ confirmantur *Novellis Justiniani*, quas suprà enumeravimus: in quibus & commemorantur præterea reliqua Patronorum ferè jura, Nominationis & electionis Clericorum ordinandorum ab Episcopo Dicēsanō; inspectio & observatio administrationis & ministerii peragendi in Ecclesiis & aliis locis venerabilibus juxta conditiones & leges dictas à fundatoribus. Quæ præcipua cura hæredum fundatoris: & si per negligentiam, avaritiam & dolum cessaverint, ea cura regulariter pertinet ad Episcopos dicta *Lege* 46. *Cod. de Episcopis*; in cuius initio notandum non posse prohibere fundatorem ne Episcopus eam curam suscipiat; sicut nec quidquam Canonibus contrarium in foundationis conditionibus apponere. Quam in rem videndus Balsamo ad *Nomocanonem Photii* tit. 2. cap. 2. & ad *an. 1. Synodi*, quæ vulgo Prima-secunda appellatur.

Veniamus ad *Jus Canonicum*. In antiqua Ecclesia nihil præ cæteris Patronos habuisse juris ostendimus in *Tractatu nostro de veteri jure Patronatus*, & refutavimus veterum Interpretum opinionem, qui in *Canonibus Gelasii Frigentius & pia mentis* XVI. *Quæst.* 7. jus processionis pro jure Patronatus accipiunt. Hoc tantum certi reperimus, aliquando nomina fundatorum Ecclesiis, Oratoriis & Xenodochiis imposita fuisse. Quod & pluribus exemplis confirmavimus. Unde & hodie in Romana Ecclesia Titulus Equitii, Titulus Pastoris, Titulus Damasi, Titulus Vestinæ, Titulus Lucinae. Quod non tantum exemplis ab historia Ecclesiastica petitis; sed etiam ex Veteri Testamento, unde incepisse putamus, potest illustrari. *Geneseos cap. 30. v. 14.* erexit Jacob *Titulum lapideum in loco*, in quo locutus fuerat ei Deus, libans super eum libamina, & effundens oleum: qui locus inseritur in formula *Dedicationis & Consecrationis Ecclesiarum in veteri Ordine Romano*. Et eodem Gene-

seos cap. v. 20. erexit Jacob Titulum super sepulchrum ejus. Eadem significatione Titulus accipitur in Levitico cap. 26. Numeris cap. 32. In 2. verò Regum cap. 18. præclarum locum non debeo prætermittere: Porro Absalom crexerat sibi, cum adhuc viveret, Titulum, qui est in valle Regis. Dixerat enim: non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei: vocavitque Titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalon usque ad hanc diem. Eodem sensu 4. Regum cap. 23. Isaiæ cap. 19. Ezechielis 39. & 1. Machabæorum 14. Titulum verò 70. Interpretes ubique ferè sīlū. In 4. Regum cap. 23. nō onomastor, & Ezechielis 39. anūtor vertunt.

Quibus verò aliquid amplius tribuatur fundatoribus, antiquiores non reperio quàm Arausicanus I. sub Valentiniano III. & Leone I. Canonem 10. & Arelatensis II. Canonem 36. quibus nominatio & electio Ordinandi conceditur specialiter Episcopo, qui in alterius Episcopi territorio Ecclesiam vel Oratorium ædificaverit: simulque præcipitur, ne quid ex his, quæ à fundatore Episcopo collata sunt, auferre & adimere liceat. Specialiter dixi concessa ea jura Episcopo. Nam iisdem Canonibus sacerularibus nominatim denegantur. Benignè tamen & provocandæ liberalitatis fidelium, etiam Laicorum, erga Ecclesias & pauperes occasione, non multò post eadem jura producta fuerunt ad Laicos. Et quidem primò receptum in Oratoriis, quæ in agris & villis ad vitandum fatigationem familiæ permisum est ædificari Can. 14. Concilii Agathensis sub Alarico Rege an. Christi 506. Dictus Canon permittit hujusmodi Oratoria habere extra parœcias, in quibus, ut eleganter ait, legitimus est ordinariusque conventus fidelium, ut in dictis Oratoriis Missas audiant extra solemnitates anni majores, Pascha, Natale Domini, Epiphania, Ascensionem, Natale S. Joannis Baptista, vel si qui dies in festivitatibus habentur. Quod & confirmatur, & ab Oratoriis ad Parœcias tractum est in Concilio Aurelianensi IV. (an. 7. & 33. anno 541). Alia pleraque postea jura nova, procedente tempore, Patronis indulta fuerunt, de quibus suis locis agemus. Præstat tamen adnotare Canonem 19. Concilii Emeritensis sub Vitaliano Papa an. Christi 666. cuius in fine hæc verba sunt: Eorum, nomina, à quibus Ecclesias constat esse constructas, vel " qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse; si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ; quod si ab " hac discesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur " suo ordine.

" Ex his omnibus colligimus Patronorum jura, quæ supra congesimus, vel ad honorem, vel ad onus, aut commodum Patroni pertinere. Et quidem ad Patroni honorem referimus, ut Ecclesia, Oratorium, vel Xenodochium Patroni nomine appellantur; & ut in sedendo, procedendo, & publicis precibus ejus ratio prima habeatur. Ad onus & curam, ut prospiciat & obseruet, ne quid circa temporalia vel spiritualia detrimenti capiat locus sacer vel religiosus & venerabilis. In spiritualibus quidem, ut vigilet circa divinorum mysteriorum & ministeriorum celebrationem & exhibitionem secundum præscriptas & appositas in fundatione conditiones & leges. Circa temporalia prospicere debet, ne redditus immittuantur, & in alios usus avertantur contra voluntatem fundatoris. Ad

commodum autem Patroni vulgo refertur, Nominatio, Electio, sive Præsentatio Clericorum, Administratorum, Oeconomorum & aliorum, quorum opera necessaria est ad cultum & obsequium in sacris & venerabilibus locis. Et quamvis, si proprius inspiciamus, hæc omnis opera Patroni & ejus hæredum gratuita esse, nee citra labem simoniæ aliquam utilitatem & compendium exinde captate debeat; tamen ad commodum pertinet exhibitio alimentorum, quæ præstanta sunt, si Patronus ad inopiam vergat: itemque si quos census, vel redditus, & præstationes exceperit, & servaverit sibi suisque hæredibus fundator; sicut paucis Glossa & Interpretes tractant ad *Canonem Frigentins*, *Canonem Piamen-*
tis, & *Canonem Quicumque* xvi. *Qu. 7.*

Hactenus de origine juris Patronatus & ejus juribus, velut per indicem. Superest ut varias illius juris appellations secundum temporum vicissitudines attingamus: & postrem posita definitione & divisione juris Patronatus *Paratitulum* concludamus.

In veteribus Canonibus pro jure Patronatus & Patronis, Fundatorum & fundationis nomen usurpatum: Græcè δωματοπεις, & η χορηγησικοιον apellabant. Patroni enim & Patronatus nomen non valde est antiquum in hoc sensu. Unde & in cap. 1. & 2. hujus tit. additum est Patroni & Patronatus nomen. Nam & in ipsis Conciliis, ex quibus sumpta fuerunt, nec apud antiquos Collectores Decretalium reperiuntur.

Non est antiquioris originis Advocati, Advocationis & Advocatæ nomen pro jure Patronatus: quamvis sapientius in antiquis Canonibus & Legibus Advocatorum Ecclesiarum mentio occurrat, quod explicabimus. Et quidem originem Advocatorum Ecclesiæ eorumque officium repetere debemus ex *Canonibus* 42. & 64. Concilii Africani vulgo dicti in *Cod. Canonum Ecclesiæ* & in *Can. ab Imperatoribus* xxiii. *Quast. 3.* Et quidem in *d. Can. 42.* qui ex quodam Concilio Carthaginensi sumptus est anno 401. Christi, decernunt Patres Concilii, ut ab *Imperatoribus* adversus potentias divitium cum Episcoporum provisione Defensores delegentur. In *Can. 64.* ex Concilio alio Carthag. septem post annis habito, decernunt Patres, ut nomine provinciarum omnium Africae Legati ad Comitatum perrecturi, petant ab *Imperatoribus* facultatem Defensores constituendi Scholasticos, qui in actu sunt, vel in munere defensionis causarum, ut more Sacerdotum provinciae defensionem Ecclesiarum suscipiant, & prænegotii Ecclesiasticis, quoties necessitas flagitaret, ingrediantur Judicium secretaria. Non caruit eventu prospero hujusmodi legatio. Nam Imperatores, quod à Legatis postulatum fuit, benignè concederant. Continetur rescriptum in *Lege* 38. *Cod. Theod. de Episcopis & Clericis.* Inscriptio & subscriptio constitutionis convenit cum tempore *d. Can. 64.* iisdem Imperatoribus & Consulibus edita fuit, & directa ad Rorphyrium Proconsulem Africæ. Denique verba Legis respondent verbis Canonis. Quoniam tamen explicatione indigent, ea referemus. Non per Coronatos, sed per Advocatos eorum arbitratu, & Judicibus innotescant, & sortiantur effectum. Sacerdotes vero provinciae erunt solliciti, ne sub hac privilegii extusatione, &c. Quos Canon vocavit Scholasticos in actu, Concilium Saricense *Can. 9.* vocat Scholasticos de foro, qui scilicet in judiciis & veris litibus versabantur; ad differentiam Scholasticorum & Declamato-

rum, qui in umbra exercebantur, vel docebant. Ex Advocatorum itaque forensium collegio & corpore Pauperum & Ecclesiarum Patronos & Defensores generales in omnibus causis constitui concesserunt Imperatores. Ait Canon, *more Sacerdotum provinciae*. Et quidem de Sacerdotibus provinciarum multi multa scripsierunt, præcipue Dominus Cuacius in *tribus libris postremis Codicis*.

Quod ad rem nostram pertinet, apud Paganos & Gentiles solebant ex Advocatorum tantum collegio eligi, qui vocabantur Sacerdotes provinciarum, qui nempe singularum provinciarum templo, sacra & reditus eis assignatos procurarent *Lege 46.* & *112. Cod. Theod. de Decurionibus*, in qua & Sacerdotium illud *Archierosyna* appellatur: & ipsi *Archepiscopi*, id est Pontifices ab Eusebio vocantur *lib. 8. Hist. Eccles. cap. 27.* loco ab Interpretate non intellecto: ita vocati, quia reliquis flaminibus, qui in mancipiis erant, præficiebantur. Hujusmodi Sacerdotes sub Imperatoribus Christianis de Paganis ut plurimum eligebantur *d. Lege 112.* & *Lege 20. Cod. Theod. de Sacrificiis & Templis*. Ad instar igitur & formam hujusmodi Sacerdotum Gentilium concedunt Ecclesiis Africæ Imperatores, ut feligant ex Advocatorum corpore, quos Defensores velint: qui scilicet eandem curam & munus pro rebus Ecclesiæ suscipiant, quam paganæ superstitionis Sacerdotes pro solemnibus & cultu suorum templorum gerebant; & ne etiam compellerentur Christiani sua desideria & causas per hujusmodi Sacerdotes provinciarum, qui potissimum, ut diximus, ex Gentilibus feligi solebant, Judicibus insinuare: nec etiam per Coronatos: qui locus obscurus est. Malè in *Cod. Theodosiano* emendant, *Honoratos*. Coronatos intellige Christianos illos, qui, gentilium erroribus nondum omnino evulsis, in publicis pompis aut sacrificiis coronati processerant: quas coronas etiam aliquando suppliciorum metu gestare compellebantur; ne tanquam Christiani puniendi ad tribunalia Judicum raperentur. Sacerdotes etiam provinciarum & flamines coronati sacrificiis & cultui Deorum vacare solebant: eoque habitu editionibus ludorum præerant Agonothetæ & Sacerdotes provinciarum. Et quidem aureas coronas gestabant, Tertulliano teste *lib. de Idolatria cap. 17.* & *18. lib. de Corona militis cap. 13.* Sunt & provinciales aureæ. Nec locus sollicitandus fuit. Nam & apud Arrianum *lib. 1. cap. 19.* Nicopolitanus Sacerdos auream coronam gestasse dicitur. Et inter opima spolia sacerdotalem coronam numerat Ammianus Marcellinus *lib. 29.* Coronatos itaque meritò cum provinciæ Sacerdotibus *d. Lex 38.* conjungit: sicut & Innocentius I. *in signi epist. 13. ad Synodum Toletanam cap. ult.* quam & integriorem nobis dedit doctissimus Sirmondus *tom. 1. Concil. Galliae pag. 41.* Neque de Curialibus aliquem venire ad Ecclesiasticum Ordinem posse, qui post baptismum vel coronati fuerint, vel Sacerdotium, quod dicitur, sustinuerint, & editiones publicas celebraverint. Quod ideo sanctum indicat Tertul. dicto *cap. 18.* quia hujusmodi corona non iam dignitatis & honoris publici, quam idolorum officii nos astringunt: & velut ab initio idolatria dicata, habent prophaneationis sua maculam. Apertiùs in *lib. de Corona Militis cap. 13.* & in omnibus istis idolatria in solo quoque sensu coronarum, quibus omnia ista redimita sunt. Unde & in *cap. 9.* idem Tertul. quis denique

Patriarches, quis Levites, quis Prophetes, aut Sacerdos, aut Archon, quis vel postea Apostolus, aut Evangelisator, aut Episcopus invenitur Coronatus? Ex quo loco vir doctissimus ad Sacramentarium Gregorii I. in Notis pag. 362. Mitrarum usum mille tantum abhinc annis cœpisse non ineruditè colligit. In Concilio Eliberitano Can. 55. in fine: *Sacerdotes, qui tantum sacrificantium coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid idolis præstant, placuit post biennium accipere communionem.* Quem Canonem & rationem hujus severitatis ex Tertul. possumus colligere: *Cedamus, ait, succedere alicui posse, ut in paucō honore, in solo honoris nomine incedat, neque sacrificet, neque sacrificiis autoritatem suam accommodet, non hostias locet, non curas templorum deleget, non veltigalia eorum procuret, non spectacula edat de suo, aut publico, aut edendis præsit.* Quæ omnia Magistratum & Sacerdotum provinciarum curam & munus circa cultum idolorum repræsentant: quæ idem Tertul. vix possibile esse evitare Sacerdotibus & Magistratibus agnoscit. Constat ex iis, cur Ecclesia per Coronatos, vel Sacerdotes provinciæ noluerit jura & privilegia Ecclesiarum defendi & propugnari in judiciis, quos & à fidelium communione arcebat per aliquot annorum spatum, & perpetuò prohibebat & amovebat à Clero.

Antiquorum hujusmodi Advocatorum, qui ad defensionem Ecclesiarum vel Monasteriorum à Romanis Imperatoribus impetrabantur ad postulationem Episcoporum; qui & Defensores & Executores vocabantur, cognitio & usus non tantum Galliæ nostræ, sed etiam omnibus ferè populis notissimus fuit, ut constat *Capitularium Regum nostrorum lib. 5. cap. 2. & 31. & lib. 7. cap. 308. & Lege Boiorum tit. 1. cap. 1. tit. 6. §. 2.* in quibus locis exscribuntur ad verbum; ferè *Canones Africani, & verba Legum, quæ suprà notavimus.* Diversi tamen hujusmodi Advocati & Defensores, & recentiores sub Regibus nostris & in Occidente ab illis Advocatis, de quibus diximus. Nec enim tantum ex numero Advocatorum, id est Patronorum causarum peti solebant, sed potissimum ex Proceribus & Optimatibus, quos in auxilium advocabat Ecclesia, ut injurias illatas Ecclesiis vindicarent, invasiones & prædas prohiberent non tantum verbis, sed solida vi. Et hi sunt, qui vulgo in recentioribus scriptoribus vocantur *Advocati, Vicedomini, Custodes, & Guardias habentes, qui solent conjungi in libris nostris, & in cap. 23. hoc tit. ubi plura dicemus.* Qualecumque tandem fuerint, originem referre debemus hujusmodi Advocatorum ad illos veteres, de quibus diximus.

Postremò quia fundatorum jura & officium hujusmodi Advocati usurpaverant pluribus in locis; tum etiam quia Patroni defensionem & tuitionem Ecclesiarum, sicut Advocati, sibi vindicant jure suo: meritò Patronis & fundatoribus Advocatorum & advocationis nomen non tantum in nostris libris, sed etiam apud alios Scriptores tribuitur; præcipue à Scriptoribus Ecclesiasticis Historiæ Anglicanæ. Eodem ferè modo quamvis ab initio Patroni Ecclesiarum plurimùm differunt à fundatoribus: quia tamen fundatores eorumque hæredes tuitionem & patrocinium Ecclesiis, Monasteriis, Oratoriis & aliis locis venerabilibus, quæ fundaverunt, tenentur impendere, & administrationi etiam reddituum invigilare, ne

dissipentur & detrahantur ; ideo fundatoribus tandem Patronorum nomen tributum fuit. Advocati tamen , Patroni , sive Defensores Ecclesiarum & Monasteriorum ab ipsis fundatoribus diligenter separandi sunt : sicut in illustri exemplo foundationis Monasterii sanctæ Crucis Pictaviensis à piissima Regina Radegunde , seorsim singuli discernuntur apud Gregorium Turonensem lib. 9. cap. 42. sub finem : *Te quoque, Beate Pontifex, (Episcopum Pictaviensem intellige) successoresque vestros, quos Patronos in causa Dei diligenter ascisco, si (quod absit) extiterit, qui contra hæc aliquid moliri tentaverit, pro refutando & refellendo Dei hoste, non pigeat ad Regem, quem eo tempore locus iste respexerit, vel ad Pictavam Civitatem pro re vobis ante Dominum commendata percurrere. Et post pauca : Simul etiam Principes, quos Deus pro gubernatione populi post decessum meum superesse præceperit, conjuro, &c. ut Monasterium, quod & permisso & solatio Domnorum Regum, patris vel avi eorum construxisse visa sum, ordinasse regulariter, vel dotasse, sub sua tuitione & sermone unà cum Agnete Abbatissa jubeant gubernare.*

Expositis variis appellationibus Patronorum , consequens est ut juris Patronatus specialiter dicti , secundum propositum & materiam hujus Tituli , definitionem vel descriptionem subjiciamus , quæ est hujusmodi . Jus Patronatus est jus quoddam singulare benignè concessum illis , qui fundaverunt , dotaverunt aut instauraverunt loca sacra , vel venerabilia , vel successoribus eorum ; quod in certis honoribus , oneribus & commodis consistit . Jus singulare vocamus : nam , ut supra diximus , Fundatoribus sive Laicis sive Ecclesiasticis in Ecclesiis , quas fundaverunt , nihil præ cæteris fidelibus concedabatur . Unde in cap. 3. hoc tit. dicitur , *bucusque Ecclesiam Patronos in eo jure sustinuisse, veluti conniventibus oculis, & ex benignitate quadam contra Juris Canonici regulas, quibus Deo dicata & consecrata usibus humanis eximuntur omnino. Competit verò jus Patronatus primò ipsis fundatoribus & ædificatoribus : quos & sequitur ipso jure, licet nihil de eo fuerit expressum in fundatione : & nisi in contrarium ipsi fundatores caverint velle se liberam fore Ecclesiam, & nihil in eam sibi juris excipere cap. 25. hoc tit. & passim, & cap. 3. de Ecclesiis ædificandis vel reparandis, & cap. 41. de Testibus. Latissimè verò definitionem extendimus : non enim tantum comprehendimus loca sacra , quæ nempe ritè & per Episcopos Deo sunt consecrata , qualia sunt Ecclesiæ & Basilicæ , Parœciæ , Capellæ , Oratoria , Monasteria , sed etiam complectimur loca venerabilia , quæ pietatis & Christianæ liberalitatis exercendæ causâ solent constitui , qualia sunt Ptochotrophia , Nosocomia , Collegia & similia hujusmodi loca : imò & ulteriùs , si quis in dictis locis sacra mysteria celebranda , statas & solemnnes preces , vel quotidie , vel certo anni tempore instituere velit , in institutione & fundatione , consensu Diœcesani Episcopi adhibito , nominatim sibi recipere & servare poterit . Varia autem Patronatus jura , quæ in superioribus attigimus , ad tria capita potissimum reduximus . Vel enim ad honorem , vel ad onus , vel ad commodum Patroni pertinent . Quare non rectè veteres plerique Interpretes jus Patronatus simpliciter dehniunt , jus præsentandi , vel potestas præsentandi .*

Dividitur autem jus Patronatus in tres species , in Ecclesiasticum , Laicum ,

Laicum, & Mixtum : quæ distinætio à personis, quibus jus competit, non est repetenda ; ut nempe dicatur Ecclesiasticum, quod Ecclesiasticis competit ; Laicum, quod Laicis : sed Ecclesiasticum appellatur, quod pertinet ad Ecclesiasticos non simpliciter, sed ratione Ecclesiæ, Monasterii, vel Beneficii, cui jus Patronatus annexum est. Quid enim si Patroni Laici jus suum in aliquam Ecclesiam aut Monasterium transferint, ut sæpius videbimus in hoc tit. maximè in cap. 8. 11. & 17. hoc tit. & cap. unico hoc tit. in vi? Laicum verò dicitur, quod proprii patrimonii ratione, vel jure fundationis, aut successionis Laicis vel Ecclesiasticis personis competit. Mixtum verò, quod ex utroque compositum est. De quibus singulis eorumque differentiis agemus plenius in cap. 22. 24. 28. & 29. hoc tit. quarum aliquas Glossa ad cap. unicum hoc tit. in vi. exposuit.

AD CAP. I. II. ET III.

Collectores & Interpretes Decretalium antiqui & novi prima tria *hujus*. Tituli Capitula referunt ad varias controversias decidendas, quæ oriri solent vel inter plures Patronos, vel hæredes & successores Patronorum, ad quos jus Patronatus transire Jure Civili & Canonico suprà docuimus. Et quidem Caput 3. ad solos Ecclesiastum fundatores eorumque successores pertinere ipsa verba satis ostendunt. In primo & secundo nulla fundatorum vel Patronorum in integris Conciliis fit mentio : & vera sententia *d'ctorum Canonum* non patitur ; quamvis in eam quæstionem trahantur à Collectoribus & Interpretibus. Itaque ne jura nova cum veteribus permisceamus : 1. & 2. Capituli argumentum ex integris *Canon.* Conciliorum repetemus. Caput 1. desumptum est ex Concilio Cabilonensi II. quod postremo impérii Caroli Magni anno & ejus præcepto convocatum fuit : eo nempe iplo anno, quo per universum Imperium quinque Concilia eodem tempore celebrari jussit, super statu Ecclesiastum corrigendo per totam Galliam, teste Eginarto in *Chronico anno 813.* & Cabilonensi II. *Can. 26. tomo 2. Concil. Galliæ.* Species ita proponitur. Laicis eo tempore Ecclesiæ obtainentibus, vel ex concessione Regum, vel etiam Laicis potentioribus Ecclesiæ sibi usurpatibus eo colore, quia in villis eorum & prædiis ædificatae erant Ecclesiæ; mortuo loci vel villa Domino, inter ejus hæredes sicut reliquum patrimonium defuncti ; ita & Ecclesiæ cum ipsis prædiis, in quibus erant positiæ, & earum redditus dividebantur inter hæredes : adeò ut unius altaris, id est Ecclesiæ formâ loquendi usitatâ in Gallia, plures partes secundum numerum hæredum fierent. Unde variæ controversiæ oriebantur. Singuli enim hæredes suos Presbyteros habere volebant ; ita ut plures in una Ecclesia præsenterent, & sacra mysteria perturbarentur. Ad comprimendos hujusmodi tumultus, & scandala removenda Patres constituerunt, ut Episcopus Civitatis, id est Dicæcesanus, ad quem de jure communi omnes Ecclesiæ earumque ordinatio pertinent, districtè præcipiat, ne in hujusmodi Ecclesiæ Missarum solemnia celebrentur, & ut vulgo loquimur, interdicat ministerio sacro ; donec hæredes omnes in unum Presbyterum consenserint, qui in ea Ecclesia liberè suum ministerium possit peragere. Ea-

demque ferè species est *Capituli 2. in antiqua Decretali & in Canone integrō*, ex quo sumptum est, nempe ex Triburiensi *Can. 32.* sub Arnulpho Rege. In *integro Canone* prima verba ostendunt agi de Ecclesia à pluribus cohæredibus obsessa, ut si Episcopo præcipiente, sub uno Presbytero Ecclesiam procurari non consentiant, Episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura eas collocet, & simul Ecclesiæ claudat ostia, & obſignet ſigillo; nec ſacrum ministerium in ea celebrari permittat, antequam unum omnes eligant Presbyterum. Nempe hoc *2. Can.* quia malum increſcebat, augentur etiam pœnæ. Si tamen verum amamus, hujusmodi Canones propriè ad Jus Patronatus & aduersus Patronos non fuerunt promulgati: quod & ex veteribus Interpretibus quidam subodorati ſunt. Mitiùs enim agendum fuifet cum benefactoribus & fundatoribus Ecclesiarum. Unde & Interpretes veteres abiſſe in desuetudinem notant pœnas iſtorum Canonum: quas & omiserunt Patres Concilii Lateranensis sub Alexandro III. ex quo petitum est *Capitulum 3. hoc tit.* in quo hujusmodi pœnæ non commemorantur: cuius *Capituli* defumpti ex *Can. 17. Concilii Lateran. sub Alexandro III. anno 1179.* hæc eſt ſententia. Vacantibus Ecclesiis, in quibus jus Patronatus vel plures ſimul fundatores, vel plures eorum hæredes ſimul ſibi vindicabant, in ordinandis hujusmodi Ecclesiis & Rectorē præſificiendo, qui Ecclesiā regeret, gravissimæ discordiæ exoriebantur; eo quod ſinguli fundatores, vel ſinguli hæredes Episcopo, Archidiacono, vel alii Prælato, ad quem institutio ſpectabat, ſeorsim diuersos Clericos præſentarent. In hujusmodi discordia fundatorum & hæredum conſtituant Patres illum Clericum præferendum & inſtituendum, qui pluribus suffragiis adjuvatur, & qui dignior eſt. Quod ſi metuat Episcopus, ne propter hanc prælationem grave aliquod iſandalum oriatur, ejus arbitrio permittitur illius Ecclesiæ viduatæ Ordinatio: eademque potestas ei conceditur, ſi inter Patronos ſuper ipſo jure Patronatus exorta controvērſia intra quatuor menses non poſſit decidi. In integro Concilio brevius tempus, triū ſcilicet mensium indulgetur. Eadem etiam de re pleniùs tractatur in *cap. 12. 22. & 27. hoc tit.* in quibus etiam quatuor vel ſex mensium fit mentio; in quibusque conciliandis poſt varias Glossæ & Interpretum ſolutions ad dicta *cap.* verior ea videtur, quam attigerunt, ut quamvis in *cap. 22. hoc titulo* nulla fiat mentio & differentia inter Patronatum Laicū & Ecclesiasticum: per id tamen quod dicitur in eo *cap.* quatuor menses Laicis Patronis confeſſi tantum intelligantur ad præſentandum, ſicut ex *cap. 3. & 22.* colligere poſſimus. Et quidem in *cap. 3.* (quod profectò de Patronis tantum Laicis loqui hæredum nomen ſignificat) & in *integra Decretali Capituli 22.* nominatim Laicorum Patronorum mentio fit. Ecclesiasticis vero personis, quibus ſcilicet, ſicut in *Partitivo* diximus, ratione ſuarum Ecclesiarum vel Beneficiorum jus Patronatus competit, ſex menses indulgentur. Quam interpretationem poſteā confirmavit Bonifacius VIII. in *cap. unico §. 1. de Jure Patron.* in *VI.* Ratio hujus novi juris conſtituendi & certi temporis præfiniendi, intra quod tenerentur Patroni præſentare, vel ſuo jure excidere, exprimitur in d. *cap. 27. in integra Decretali*; ne propter discordias & diſſenſiones Patronorum Ecclesiæ plus debito remaneant viduatæ Rectoribus:

quod in ipsarum grave dispendium noscitur redundare. Numerandum
verò tempus illud est à die, quo Patronus noverit Ecclesiam vacare *cap.*
22. hoc tū. Et quidem tempus continuum est, ex quo noverit, ut etiam
festi dies numerentur. Illud verò jus novum esse diximus, quo primùm
tres menses in Concilio Lateran. posteà quatuor Laicis Patronis & sex
Ecclesiasticis concessi fuerunt. Nam antiquoribus Canonibus nullum
tempus nominatum præfinitum fuit, quibus etiam parum nota fuit. Pa-
tronatus Ecclesiastici & Laici differentia. Simpliciter enim decernebant
admittendos esse præsentatos à Patronis, eosque ab Episcopis ordinandos
vel instituendos cum prævia inquisitione & examinatione, si forent idonei;
nec moras necendas, vel neglecta præsentatione alios ab Episcopis insti-
tuendos. Quod si contrà fecissent, nullam vel irritam hujusmodi ordina-
tionem vel institutionem ipso jure constituerunt *Can. decernimus 32.* &
duobus seqq. xvi. *Quæst. 7. Can. 21. 24. & 41.* Concilii Romani sub
Leone IV, in ejus vita. Quod & injunctum Episcopis ad postulationem
Patronorum Laicorum *Can. 22.* Concilii Parisiensis VI. sub Ludovico
Pio, & in Capitulari 34. Caroli Calvi, in quo sicut & in præcedentibus
de Laicorum Ecclesiis agitur. Videnda *Capitularia Caroli Calvi pag.*
363. Moribus verò nostris si spreto Patrono Episcopus alium instituerit,
ipso jure non est irrita hujusmodi institutio, sed, ut aiunt, venit irri-
tanda, id est sententia & decreto Judicis opus est; adeoque nisi con-
queratur Patronus intra tempus, pro hac vice manet rata Episcopi in-
stitutio, hoc colore quia de jure communi pertinet ad Episcopum Ordinatio Ecclesiarum, & imputare sibi debet Patronus, qui jure suo intra-
tempus usus non est.

Superest ut ad singula Capitula adnotemus, quæ notatione digna vi-
debuntur. Et quidem ad intellectum *Cap. 1. & 2.* confirmare debemus,
quod initio *hujus cap.* proposuimus, in illis nullam fieri mentionem de
Patronis vel eorum hereditibus. Quod verò in illis dicitur de divisione Ec-
clesiarum inter cohæredes, accipiendum de judicio familiæ erciscundæ,
quod inter cohæredes redditur, inter quos Ecclesiæ in propriis defuncti
rebus constitutæ, sicut reliqua bona & possessiones dividi solebant, &
qui ipsas Ecclesiæ earumque redditus hereditario jure sibi vindicabant:
cujus juris progressum ad multa utilem explicabimus. Et quidem pri-
mum potentiores Laici autoritate Regia & simul Ecclesiastica, difficil-
limis temporibus, Monasteria, Abbatias, Ecclesiæque obtinuerant, ea-
rumque redditibus fruebantur, dummodo Ecclesiæ honorari procurarent.
Quod vetus malum non soli Carolo Martello, & secundæ stirpis Regi-
bus imputandum, sed origo altius repetenda. Viri docti originem ab ipsa
Italia & Decretis Symmachi Papæ repetunt in Synodo Rom. VI. in qua
conqueritur, quæcumque pro remedio peccatorum & pro salute animarum
quisque contulerit Ecclesiæ ab his, à quibus maximè convenit Ecclesia ser-
vari, id est, Christianis, & Deum timentibus hominibus, super omnia
à Principibus & primis Regionum in aliud transferri & converti *Can. 57.*
xvi. Qu. 1. Latiùs per universam Europam serpsit hujusmodi corruptela,
& per Gallias nostras. Nec tantum sub Carolo Martello, sed etiam
sub prima Regum stirpe incœperat: imò sub ipso Clodoueo I. Childe-
berto ejus filio, & Clotario I. competitoribus rerum Ecclesiasticarum

260 F.R. FLORENTIS TRACTATUS
in aulas Principum subdolè se insinuantibus, sicut ex Conciliis primis Gallicanis probavit in erudito commentario de *Sacrilegio Laico sive de veteri Ecclesia Gallicana querela* Joannes Fillesacus pag. 843. & 844.

Occasio verò quare tribuatur origo hujus usurpationis Carolo Martello ea fuit, quod undeque Gallia potentissimis hostium exercitibus, præcipue paganorum & infidelium oppugnabatur: ad quos repellendos cum nobiles & proceres opes & facultates omnes exhausilent, solatii & mercedis colore possessiones, & prædia Episcopatum, Abbatiarum, imo & Ecclesiarum, sive Parœciarum certa lege & conditione eis concessa fuerunt à Carolo, communi consensu accedente Cleri & Procerum; ea que potissimum lege, ut cultus divinus ritè procuraretur, & impensæ necessariique sumptus sacris Ministris suppeditarentur. Quod quidem jus summum à Pipino filio Caroli Martelli receptum pro necessitate temporum, & temperatum fuit in *Can. i. Concilii Leptinensis tom. i. Concil. Gallæ pag. 540.* cajus verba utile est ascribere. *Statuimus quoque cum consilio servorum Dei & populi Christiani, propter imminentia bella & persecutio[n]es caterarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, ut sub precastio[n]e & censu aliquam partem Ecclesiastica pecunia in adjutorium exercitus nostri, cum indulgentia Dei, aliquanto tempore retineamus, ea conditione ut de unaquaque casata solidus, idest duodecim denarii, ad Ecclesiam & Monasterium reddatur.* Eamque Synodus, cui præfuit Bonifacius Martyr vices gerens Sum. Pontificis Zachariæ, ipse Zacharias confirmavit epist. quæ dicto Leptinensi Concilio subjici solet: in qua epistola, quæ & inseritur lib. 5. Capitularium cap. i. magnorum malorum hujusmodi occasionem Zacharias rejicit in falsos, schismaticos, homicidas, & fornicatores Clericos. Quare alteri Synodo Leptinensi tribendum videtur, quæ sub eodem Pipino est habita, id quod dicitur in *Epiſtola Archiepiscoporum Remensis & Rothomagensis;* in qua plenissimè tractatur de usurpatione bonorum Ecclesiasticorum, in qua & ea verba notanda, quæ ad Leptinensem II. Synodum pertinent. *Quoniam res omnes Ecclesiis à quibus ablata erant, restituere (Pipinus filius Caroli Martelli) propter concertationem, quam habuit cum Waifario Aquitanorum Principe, non prevaluit; precarias exinde fieri ab Episcopis petiunt, & nonas ac decimas ad restauraciones te[ct]orum, & de unaquaque casata duodecim denarios (pro censu scilicet) ad Ecclesiam, unde erant beneficiata, &c.* Et hoc pertinet quod in veteri Chronico ad annum 751. sub Pipino adnotatur, res Ecclesiarum descriptas & divisas fuisse. Descriptas vocat, quæ sub precariæ aut Beneficii titulo sub dictis conditionibus possidebantur à Laicis, quibus ab initio maximè sub Carolo Martello concessas fuisse diximus. Eaque omnia Carolus Magnus, Pipini filius confirmavit, & repetiit iisdem conditionibus in celebri Capitulari, quod anno xi. regni sui publicavit: *Et precaria, ubi modo sunt renoverunt, & ubi non sunt, scribantur.* Nempe quia ab initio precariæ ad vitam accipientis durabant tantum. Alio enim sensu in jure precarium dicitur: alio precariæ Ecclesiasticæ.

Additur præterea in fine dicti Capitularis. *Et sit discretio inter precarias de verbo nostro factas, & inter eas, quas spontanea voluntate de ipsis rebus Ecclesiarum faciunt.* Duas species preciarum attingit; quasdam necessarias & coactas, rerum nempe Ecclesiasticarum, quas

Laici ex concessione Regum primū obtinuerant; quasdam voluntariās, quae nempe sponte à Prelatis Ecclesiarum precariæ titulo optimis legibus & conditionibus, prout Ecclesiæ conducere videbatur, secundūm Leges & Canones constituebantur. Necessariarum autem preciarum prætextu & colore Laici, saltem proprietate & dominio tenus, Ecclesiæ res suas restituere videbantur; earum scilicet possessionum, quas Laicis Reges nostri propter assiduitatem bellorum tradiderant, aut etiam à Comitibus injustè, vel vi & manu usurpaverant: adeo ut non tantū Monasteria, Abbatias, sed Parœcias & Ecclesiæ ipsas obtinerent, vel tanquam Beneficia, sive feuda, vel in allode, & jure hæreditario & perpetuæ proprietatis. Unde frequentissimæ querelæ exortæ Clericorum sub Carolo & Ludovico Pio, qui, ut attigimus, temperaverunt quidem invasiones hujusmodi; abolere non valuerunt, ut ipsi profitentur in Conciliis & Capitularibus; in Capitulari 3. Ludovici Pii parte 6. cap. 5. & 9. tom. 2. Concil. Galliæ pag. 467. & 468. & lib. 6. Capitularium Caroli & Ludovici Capit. 285. & seq. quæ referuntur etiam dicto tom. 2. Concil. Galliæ pag. 233. 234. præcipue vero in Concilio II. Aquisgranensi sub Ludovico Pio in tertia parte Can. 8. & 19. & in duobus libris super ea re editis in d. Concilio ad Pipinum Aquitanæ Regem Ludovici Pii filium. Et quidem dicti Canonis 19. verba notanda sunt. *Monasteria, divinis solummodo cultibus dicata, non debere secularibus dari, & Canonica prodit autoritas, & ipsorum destructio locorum. Sed quia id exigit Reipublicæ necessitas, saltem collapsa erigi debent & Clerici, in quibus faerant, restitui; quousque opportunitas id permittat emendari pleniū.* Quinimò Patres dictæ Synodi super ea re instanter adeò egerunt, ut meliori conditione res Ecclesiasticæ postea fuerint, ut constat ex Can. 59. XVI. Quo. 1. si expendantur ea, quæ ad dictum Can. Romani Correctores addiderunt: dummodo tamen caveamus à fabula de damnatione Caroli Martelli, quam & refutavit doctissimus Baronius.

Eginartus vero in Chronico ita scribit de hac Synodo Aquisgranensi: *Mense Februario magnus Episcoporum præsertim conventus Aquisgrani habitus est, in quo cùm de aliis Ecclesiæ necessitatibus, tam de iis rebus præcipue, quas Pipinus & sui multis Ecclesiis abstulerant, agebatur. Publico autem & Imperatoris & Episcoporum decreto & consensu monetur Pipinus, ejusque Primates, cum quanto ipsius periculo res Ecclesiasticas invaserint; utque restitui jubeat, præcipitur. Quæ res prosperum exitum habuit. Nam Pipinus monita pii Patris sanctorumque virorum libenter suscipiens, obedienter paruit, & omnia invasa etiam per annuli sui impressionem restitui jussit. Et meritò commonitio illa facta fuit Pipino Regi Aquitanæ. Nam per universam Aquitaniam sacrilega hujusmodi bonorum invasio potissimum prævaluerat; adeò ut & Ducum Aquitanæ, & illius gentis patrimonium consistenter magna ex parte de bonis Ecclesiæ, autoribus Eudone & Waifario eorum Ducibus. Nec tamen prava consuetudo, sicut inveteratus morbus, facile remediis & constitutionibus & quissimis cessit. Quinimò sub Ludovici Pii liberis recruduit yulnus: licet tentatum sit sapientiæ pessimam abolere corruptelam, ut constat ex Capitulis actis apud Theodonis-Villam inter Ludovici Pii liberos cap. 3. & 4. tom. 3. Concil. Galliæ pag. 15. & pluribus locis in Capitulis Caroli Calvi pag. 59.*

38. 39. & 91. maximè verò pag. 179. 183. & 185. in quibus dicitur hujusmodi possessiones Ecclesiasticas impetratas fuisse à Regibus, partim Regum juventute, partim fragilitate, partim aliorum callida suggestione: imo & minarum necessitate: quia, ut ibidem additur, dicebant Proceres & peritores, nisi eis illa loca sacra donaret, ab eo deficerent.

Ex his omnibus colligimus præter censum unius solidi de singulis casatis ab initio impositum, postea additum fuisse à Carolo Magno & ejus liberis in favorem Ecclesiarum, ut decimæ & nonæ fructuum Ecclesiis præstarentur, & sarta tecta instaurarentur. Quas tamen præstationes sæpius repetitæ Constitutiones, & frequentissimæ querelæ Cleri vix aut raro fuisse observatas certissimam conjecturam præbent. Nam videmus ex Historiæ fide & plerisque locis Conciliorum supra citatis. Laicos Proceres Ecclesiæ & bona Ecclesiastica illis temporibus emisse, donasse, divisisse inter cohæredes, dotis titulo constituisse. Imo nec tantum Ecclesiæ, sed etiam ipsa Altaria, quæ erant numero hæredes, in totidem partes dividebant; ita ut singulæ partes singulos haberent Presbyteros, eosque sæpissimè, inconsultis & invitis Episcopis constituebant, sicut in cap. 1. & 2. hoc tit. in integris Canonibus Conciliorum, quos supra notavimus. Et ad hanc divisionem referendum, quod Leo IV. in Sermone, qui solet subjici ejus vitæ, tom. 3. Conciliorum Binii parte 2. vetat ut nullatenus una Ecclesia inter plures dividatur. Idque apertissime confirmatur Can. 35. & 36. xvi. Qu. 47. qui postremus Canon 36. licet tribuatur à Gratiano Gregorio Papæ, non ascripto cuius Gregorii; vel est Gregorii III. aut IV. vel potius desumptus est ex celebri Capitulari 3. Ludovici Pii parte 6. cap. 1. 2. & 5. tom. 2. Concil. Galliæ pag. 467. Et quidem 2. Capituli notanda sunt hæc verba: *De Ecclesiis quæ inter cohæredes divisa sunt, considerandum est quatenus si secundum providentiam & Episcopi admonitionem ipsi cohæredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Si autem hoc contradixerint, ut in Episcopi maneat potestate, utrum eas ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat.* Verba illa Canonis honorare faciant Ecclesiæ, & honor Ecclesia in Conciliis Gallicanis & Scriptoribus frequens est: nunc verò dicimus faire deservir. In quibus verò honor ille consistat, exprimitur in Capitulari Aquisgranensi nuper primum edito cap. 71. tom. 2. Concil. Galliæ pag. 152. & lib. 1. Capitularium cap. 71. Quamvis autem tot Conciliorum prohibitionibus ex Regum nostrorum constitutionibus turpis & impia, illa divisio altarium sublata fuerit inter cohæredes, unius tantum Presbyteri nomination & præsentatione relieta, qui ab Episcopis probandus & instituendus foret: & generaliter statutum, ne inconsulto Episcopo, Presbyteri Ecclesiis præficerentur, vel amoverentur ab eis, nisi justâ causâ cognitâ & probatâ; retinebant tamen Laici ipsas Ecclesiæ, id est redditus Ecclesiarum. Quod diutissimè etiam sub Regibus tertiae stirpis duravit; idque ut aliquo colore præxerent, solebant Ecclesiæ ab altaribus distinguere. Abbo Floriacensis in Apologetico ad Hugonem & Robertum Regem apud Aimoinum Monachum scriptorem vitæ Abbonis in cap. 8. sub finem: *Certe charissimi Principes, nec Catholicè vivimus, nec Catholicè loquimur, quando illam Ecclesiam dicimus esse meam; ille alteram dicit esse suam: ac veluti quadam jumenta, comparati jumentis insipientibus, mirasque aliquando venales proponimus, pro-*

posuimusque ab aliis emere non formidamus. Est alius etiam error gravissimus, quo fertur altare esse Episcopi, & Ecclesiam alterius cuiuslibet domini; cum ex domo consecrata & altari unum quoddam fiat, quod dicitur Ecclesia, sicut unus homo constat ex corpore & anima. Videte, equissimi Principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit charitas? Errore non valde dissimili laborant, qui Beneficia Ecclesiastica hodie nundinantur, eo colore quasi non quid spirituale, sed temporale comparent: eum tamen nunquam in Ecclesia bene constituta Officii & Beneficii Ecclesiastici separatio fuerit cognita. Paulatim vero Conciliis pluribus generalibus & particularibus, sub tertia stirpe Regum nostrorum celebratis, per universam Europam sublatæ fuerunt concessiones & divisiones Ecclesiarum, de quibus diximus, & ad quas pertinent duo *Capitula prima* hujus tit. Quæ quidem divisiones multum differunt à jure Patronatus, quod fundatoribus vel eorum hæredibus Ecclesia justissimis rationibus concessit. Namvis etiam procedente tempore contigisset, ut & hæredes fundatorum idem præsumerent; potiori certè ratione quam reliqui superiores, qui nihil Ecclesiis contulerant; inde eas fuerant deprædati. Fundatores tamen, qui solliciti cura majora prospiciebant Ecclesiis, hanc conditionem apponere solebant in fundatione, ne Ecclesiæ dividerentur ab hæredibus. Eamque in rem insigne est *Capitulum 2.* ex *Suessionensis II. Concilii actione 7.* desumptum sub' Carolo Calvo anno Christi 853. tom. 3. Concil. Gallicæ, & in ejusdem Caroli Calvi Capitularibus pag. 87. Ut missi nostri diligenter investigent per singulas Parochias simul cum Episcopo de Monasteriis, quæ Dominum timentes in suis proprietatibus edificaverunt, & ne ab hæredibus eorum dividerentur, parentibus & predecessoribus nostris sub immitatis defensione tradiderunt.

Supereft ut tractatione universa revocata ad tempora Regum nostrorum tertiaræ stirpis, quibus per partes sublata paulatim fuit sacrilega illa divisio Ecclesiarum, & libertas Ecclesiæ tandem ferè per universam Europam restituta fuit; Patronorum ostendamus & eorum hæredum jura, veteribus Canonibus inducta & confirmata, firma semper & illibata remansisse. Et quidem antiquis Canonibus jus Patronatus ad hæredes & successores cum universitate bonorum transit, sive defunctum Patronum jure sanguinis & proximitatis contingat, sive etiam sint extranei *Can. filii juncta Glossa,* *Can. considerandum & Can. si plures xvi. Qu. 7. & cap. cum Bertoldus 18. Extra de sententia & re judicata.* Idemque dicendum de fideicommissario hærede, cui scilicet hæreditas restituitur ab hærede scripto: quia nempe in eum jus omne & commodum successionis transit, & provero hærede habetur. Idemque ante constitutum fuerat à Justiniano *Lege 46. Codice de Episcopis & Clericis, & Novella 123. capite 18.* Jus enim Patronatus non est merè spiritale, sed tantum spirituali annexum, & plerisque casibus temporale; ideoque non tantum ad universali juris successores, sed etiam ad villæ vel prædii, cui jus Patronatus inhæret, emptorem vel donatarium transmittitur, sicut explicabimus pluribus ad *capit. 16. hoc tit.* Transit vero jus Patronatus ad singulos hæredes fundatorum in solidum, quia sui natura est indivisible, sicut jura omnia. Ne tamen difficultas occurrat in præsentatione, major pars minorum vincit in ferendis suffragiis, & plures numero hæredes unius de-

functi Patroni, in cuius locum successerunt, vice & jure habentur, & unicam vocem habent, qualem habuisset defunctus ex decisione Clem. tinae 2. de *Jure Patronatus*. Absurdum enim visum fuit plures hæredes habere amplius juris in præsentatione, quam ipsum defunctum Patronum, in cuius locum subierunt. Et hoc est quod dicitur in stirpes, non in capita & ex propria persona hæredes Patronorum admitti. Quod ex Innocentii IV. sententia ad Caput 1. hoc titulo Clemens decidisse videtur adversus multorum Interpretum sententiam, qui contendebant in capita succedere debere hæredes in præsentationis articulo, decepti exemplo successionis Patroni, cuius singuli hæredes in capita succedunt in bonis liberti, & singuli appellantur Patroni: sed hoc specialiter & singulari jure ex ipsis verbis Legis liberis Patronorum nominatim concessum fuit, Ulpianus lib. Regularum tit. de Libertorum successione §. ad liberos Patronorum, Lege Si Libertus præterito 23. §. ult. ff. de bonis libertorum: imò & ex postrema Constitutione Justiniani de Jure Patron. ex hæredati liberi Patroni admittuntur ad successionem ab intestato liberti paterni, qui sine liberis decesserit, ut constat ex fine Constitutionis Latina & Græca de bonis libertorum, quam edidit D. Cujacius lib. 2. Observationum cap. 34. Quoties autem plures existunt Patroni, vel plures hæredes, qui eos reprelentant in stirpes, non in capita; singulis quidem in solidum jus nominandi & præsentandi competit: sed quia difficile est in unum Presbyterum simul omnes convenire; quem major pars nominaverit vel præsentaverit præferetur, dummodo sit idoneus cap. 3. hoc tit. Itemque ut facilius provideatur vacanti Ecclesiæ, permittitur Patronis inter se convenire, etiam inconsulto Episcopo, (quod quidam tamen ex veteribus Interpretibus desiderabant) de Presbtero alternis vicibus præsentando. Eademque ratione eis conceditur plures simul nominare personas Episcopo, ut ex illis eligat quam velit instituere in vacante Ecclesia dicta Clement. 2. de *Jure Patronatus*.

Observandum tamen maximè, quod Innocentius IV. adnotavit ad cap. 1. hujus tit. quem & postea Ostiensis Cardinalis secutus est in Summa, Jus Patronatus esse quidem in solidum penes singulos hæredes, quoad omnem suum effectum, puta honorem, onus & emolummentum; præterquam quoad præsentationem, quæ ita est apud omnes simul, ut apud nullum singulariter sit.

Postremò quod dicitur de Reliquiis tollendis & Ecclesiarum claudendis ostiis, ne ibi divina mysteria celebrentur, ideo statutum, ut illo tempore viæ dissentientes Patroni, vel hæredes compellantur in unum Presbyterum consentire. Rectè tamen quidam ex veteribus Interpretibus, quos & Glossa sequitur, adnotant hanc severitatem non habere hodie locum. Imò & si propriè inspiciamus, restringenda est illa pœna ad species, quæ tractantur in dictis Capitulis 1. & 2. nempe ad occupationem & invasionem non tantum bonorum & reddituum Ecclesiasticorum, sed etiam ipsius Ordinationis Ecclesiarum, quæ ab aliis præsumebatur, quam Patronis. Itemque notandus antiquus interdictorum usus in Gallia sub ipso Carolo Magno, cuius postremo Imperii anno hunc Canonem 1. editum fuisse docuimus in Concilio Cabilonensi II.

Superest ut planè intelligamus quæ de Reliquiis tollendis dicuntur, observan-

AD L. III. DECR. T. XXXVIII. DE JURE PATRON. 265
observandum duplarem usum Reliquiarum Martyrum & Sanctorum
in Ecclesia receptum fuisse. Vel enim in capsis & feretris deponebantur,
& venerationis causâ super altaribus & aliis locis sacris publicè propone-
bantur: qua de re agitur speciali *Titulo de Reliquiis & veneratione San-
ctorum*. Vel etiam in Dedicationibus Ecclesiarum, Capellarum & Ora-
toriorum, in ipsis altaribus consecrationis causâ recondebantur & inclu-
debantur manu propria ab Episcopis, qui consecrabant ea loca. Utrum-
que Reliquiarum usum Paulinus significat epist. 11. ad Severum Sulpici-
um initio: *Testis est autem Dominus, quod si vel scrupulum sacri cine-
ris habuissimus supra quam nobis ad Basilicam, quæ in nomine Domini pro-
ximè consummabitur, dedicandam necessarium erat; misissimus Unanimita-
ti tuae.* Et in epistola 12. ad eundem: *Si vero magis vobis placeat hanc de
cruce benedictionem ad quotidianam tutelam atque medicinam in promptu ha-
bere, ne semel condita in altaria non semper ad manum, ut usus exigit,
præsto sit; sufficit & illa ad Basilice consecrationem gratia, scilicet Do-
minus cum Apostolis & Mariyibus, &c.* Ex quo loco colligitur aper-
tissimè differentia inter Reliquias reconditas in altari, & inter eas, quæ
ad usus & venerationem, vel quotidianum auxilium publicè proponuntur
in Ecclesia. In eadem epist. 12, pag. 146 de Reliquiis sancti Clari dis-
cipuli sancti Martini.

*Digna pio domus est altaria, sub quibus artus
Conditur exanimos.*

Et postea.

*Casta tuum dignè velant altaria corpus,
Ut templum Christi contegat area Dei.*

Et pag. 150. hic titulus indicat, inquit, deposita sub altari Sancta San-
ctorum.

*Sancta Deo geminum velant altaria honorem,
Cum cruce Apostolicos quæ sociant cineres:
Quam bene junguntur ligno crucis ossa piorum;
Pro cruce ut oœsis in cruce sit requies!*

Et in Natali sancti Felicis.

*Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora sedem.
Namque & Apostolici cineres sub calite mensa.
Depositii, placitum Christo spirantiis odorem
Pulveris, inter sancta Sacri libamina reddunt.*

Mensam vocat altaria sacra, quæ solebant extrui super Martyrum se-
pulchris & corporibus, aut Reliquiis. Prudentius *Hymno II. de passione
sancti Hippolyti.*

*Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenta donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris apposita, &c.*

Idem *Hymno 9. in passione Cassiani.*

*— Complector tumulum, lacrymas quoque fundo,
Altar tepeſcit ore, saxum pectore.*

Ambrosius lib. 7. epist. 54. sub finem: *Succedant victima triumphales, ubi
PARS SECUNDA.*

Christus hostia est: sed ille super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum praedestinaveram mihi; dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis (SS. Gervasii & Prothasii) dexteram portionem. Hieronymus *adversus Vigilantium cap. 3. Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos ossa veneranda; secundum te vitem pulvisculum offert, Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria.* Quo verò ritu inferrentur hujusmodi Reliquiæ, & quibus precibus adhibitis recondentur sub altaribus, explicatur in *Ordine Romano de Consecrat. altaris pag. 114. 123. 124. & 125.* quo loci *columna secunda, Confessionem sàpiùs vocat locum in altari excavatum, in quo recondebantur Reliquiæ.* Ordini Romano ferè per omnia conveniunt, quæ habentur in *Sacramentario Gregorii Magni nuper edito, ubi de Consecratione altaris pag. 152. & 156.* & quæ ad eum locum doctissimus Menardus Monachus observavit pag. 192. 194. 201. 202. & seqq. De Reliquiis autem in altari conditis non existimo, quæ de Reliquiis dicuntur in cap. 2. hoc tit. & in Can. 35. & 36. XVI. *Qu. 7. esse intelligenda, ne & Ecclesia & altare planè reseclarari videarentur: quod sine magno scandalo fieri non posset.* Sed mitius accipienda de Reliquiis, quæ publicè solent proponi cultus & venerationis causâ, extra altare in capsis & feretris. *Quinimò sicut initio notavimus propter Patronorum & Fundatorum contentiones, vel super ipso jure Patronatus, vel super instituendi Presbyteri persona, quando nempe convenire de certa persona non possunt: Patronis, inquam, his casibus tam severa pœna non infligitur.* Et quidem verba 1. & 2. *Capiuli ad usurpationes Ecclesiarum à Laicis factas pertinere docuimus: & quidam ex veteribus Interpretibus, sicut observat Glossa, notaverunt in usu non esse hujusmodi Canones, quæ de tollendis reliquiis loquuntur.* Et hæc omnia plurimum illustrant *Canonem 26. de Consecratione Dist. 1. & Can. 7. Synodi VII. & Legem 26. decernimus Cod. de Episcopis & Clericis,* ex qua Lege constat non posse in Ecclesiis collocari Reliquias, nisi adhibita autoritate Episcopi, ne forte incertæ Reliquiæ & Martyrum nondum vindicatorum pro arbitrio & superstitione cuiusque inferantur, & proponantur venerandæ. *Quam in rem insignis est Amulonensis Archiepiscopi Lugdunensis epistola ad Theobaldum Episc. Lingonensem adversus falsarum Reliquiarum imposturas, & superstitiones duorum Monachorum circumlationes Reliquiarum.*

Postremò superest, ut ex *Ordine Romano pag. 124. editionis Coloniensis adnotemus, in transferendis Reliquiis hujusmodi, & inferendis in novam Ecclesiam, quæ consecranda erat, Episcopum consueuisse ad ipsum ostium verbum facere ad populum de honore Ecclesiastico, de Decimis ac oblationibus Ecclesiæ, ac de anniversaria ipsius Dedicatione.* Et annuntiet tam *Clero quam populo, in cuius honore constructa & dedicata sit Ecclesia, vel etiam nomina Sanctorum ibi requiescentium.* Ipse autem Dominus & Constructor Ecclesiæ admoneatur de dote illius, & qualis honorem vel curam Ecclesiæ & Presbytero exhibere debeat. Illo autem profitente in omnibus se velle ita agere, Pontifex hæc à Domino postulans, antequam intret Ecclesiam, dicat hanc orationem, &c. Quod & pleniùs explicabimus ad celebre *Capitulum nobis infra.*

A D C A P. I V.

Expliçavimus in præcedentibus Capitulis, quo progressu & quibus temporibus à potentioribus Laïcis Ecclesiarum bona, possessiones, decimæ, imò & oblationes fuerint occupatæ, aliquando per vim, aliquando vero præcedente qualicunque titulo & concessione Regum, accedente vel SS. Pontificum, vel Episcoporum & Cleri consensu, difficillimis scilicet temporibus; nempe propter sumptus & impensas bellorum, quæ suscipienda erant adversus infidelium & paganorum irruentium irruptiones. Certis tamen legibus & conditionibus à Regibus concedebantur, ut nempe debitus honor & cultus exhiberetur, & ministris suppeditarentur alimenta, & ut nominati & præsentati à Laïcis in hujusmodi Ecclesiis, quarum reditus obtinuerant, priùs ab Episcopis examinarentur, an forent idonei: & ab Episcopis reperti digni instituebantur. Contrarium sæpe tamen eveniebat, & inconsultis Episcopis sponte & temere Presbyteros in Ecclesiis illis, quas occupaverant, Laïci constituebant, & ut loquitur *Canon* 38. xvi.

Qu. 7. arbitrii sui temeritate, & (quod est gravius) cupiditate ducti quibuslibet Ecclesiæ dabant, vel auferebant absque consensu Episcopi. Quin imò quidam Presbyteri suæ immemores Dignitatis, prece vel pretio Laïcos potentiores sibi demerebantur, ut per eos Ecclesiæ adipiscerentur. Quam Simoniæ infamiam & turpitudinem diutiùs in Ecclesia perseverasse apertissimè comprobant tot frequentes Constitutiones & Canones sæpius renovati, multis annis ante Alexandrum III. autorem *hujus Capituli* in Concilio Generali Lateran. *Can. 14. §. Præterea*: quibus Canonibus severissimæ pœnæ sanciuntur tam adversus Laïcos, quam Clericos, qui prece vel pretio nundinabantur hujusmodi Beneficia: in Laïcos excommunicationis pœnâ; in Clericos non tantum excommunicationis, sed etiam depositionis & amissionis gradus sui pœnâ constitutâ *Can. 12. 14. 16. 17. 18. 19. 20. 37. 38. XVI. Causa Qu. 7.* Adversus quem abusum ita Hincmarus in *Capitulis* nuper editis tom. 3. Concil. Galliæ pag. 622. *Capitulo ult.* Ut si quilibet Presbyter apud seniorem secularem ulla precatione, vel aliquo xenio Ecclesiæ illam obtineat &c. Et idem in aliis *Capitulis* editis in Concilio Remensi anno Christi 874. cap. ult. eodem tomo 3. pag. 541 in quo simoniæ crimen & labem maximam in malos Clericos transfert statim initio Canonis: *Sæpe vos admonui de xeniis superfluis contra sacras regulas pro Ecclesiis viduatis nondandis; sed sicut audivi, vos non inde castigastis.* Et postea: *Ipsi enim scitis, quia nemo fidelis in Parœcia nostra in sua Ecclesiæ sive Presbyterio esse cupit; & sine ordinatione Episcopali Presbyterum habere non potest &c.* Et in fine: *Non necesse esset vobis petere Ecclesiæ cum superfluo xenio; quia quique fideles, si vestra culpa non esset, plus quererent bonos Clericos quam vestros denarios: & hoc non suffertis, sed vos & vestros nutritos in maledictionem mititis, cum dato Patronis præmio vobis & illis peccatum emitis.* Adeò tamen frequens erat simonia in illis casibus, ut sicut in feudis vel emphiteusi fieri solet, certam præstationem pro introitu in vacationibus Ecclesiarum exigerent Laïci à Clericis, ut approbarent, vel concederent nominationem, vel etiam collationem, quam illis temporibus, sicut diximus, præsumebant Laïci. Quo sensu

in quadam donatione Ecclesiæ parœcialis sancti Juliani fit mentio feudi Presbyterorum. Et in alia donatione quidam nobilis, qui restituebat Ecclesiam ita loquitur: *Condonavimus præpositure concessionem, quod Romane dicitur losum (lots & ventes) venditionem Præbendarum, & quod vulgus appellat summarium, & à manu nostra omnino removemus; & præfata Ecclesia concedimus omne dominium, quod in ipsa habebamus intus & extra in terris, in memoribus, in aquis &c.* Utraque donatio extat in *Promptuario Antiquitatum Ecclesia Tricassina pag. 308. 372. & 373.* quales siebant plurimæ donationes & restitutions à piis Laïcis in redemptionem animæ, de quibus plura dicemus ad *caput 8 infra*.

Pertinet etiam ad intellectum *hujus cap. nostri cap. 3. supra de Institutionibus & cap. 21. hoc tit.* quæ sunt ejusdem autoris Alexandri III. & ad Ecclesiam Anglicanam spectant, in qua Nobiles Ecclesiæ ferè omnes occupabant. Et quidem in istis duobus *Capitulis* notandum pœnas constitui adversus solos Clericos, qui Ecclesiastica Beneficia sine Episcopi Diœcesani consensu, vel Officialium suorum, recipiebant de manibus Laïcorum. Et meritò in Clericos potissimum quia, ut diximus, gravius erat eorum peccatum. Concilium vero Lateranense Laïcos etiam anathemate feriendos esse ait; Clericos vero primùm communione privandos, & si perititissent, ab omni ministerio & ordine Ecclesiastico depnendos. Quæ verba, sicut omnes Interpretes observant, rectè significant non ipso jure infligi illas pœnas, sed opus esse admonitione & sententia Episcopi, ut si moniti congruè non satisfacerent, id est non resignarent hujusmodi Beneficia in manibus Ordinarii, sicut loquitur *cap. 21. hoc tit.* pœnas supradictas incurrerent. Non diffiteor tamen, quin & Patroni & Fundatores idem præsumerent, & lucrum captarent ex præsentatione & nominatione: imò & ipsa bona & possessiones Ecclesiæ in sua iuria revocarent: quod & olim prohibitum *Can. 1. Synodi I. & II. apud Zonaram & Balsamonem.* Quibus casibus, quia eadem peccant, meritò & eandem pœnam pati debent, quamvis propriè verba *dictorum Capitulorum* ad Fundatores non pertineant.

AD CAP. V. PARTEM I. ET AD CAP. XXIV. ET XXIX.

Ad eandem Questionem pertinent, nempe quid juris statuendum sit, si Patronus idoneum Clericum nominaverit ad vacantem Ecclesiam, quem Episcopis instituere recusat, nec Beneficium conferre velit: & idem Patronus alium postea idoneum Clericum præsentaverit, quem Episcopus instituerit & admiserit. Et quidem *d. Capitulorum* sententia hæc est, ut primò sit distinguendum inter Patronum Ecclesiasticum & Laicum. Laicus Patronus sive Clericum idoneum sive non idoneum nominet ab initio, variare potest, & alium idoneum præsentare, dummodo intra quatuor menses, quibus Laicis Patronis præsentatio conceditur; ita ut si 2º. præsentatus admittatur ab Episcopo vel ejus Vicario, Officiali, aut Archidiacono, ad quos secundum consuetudines varias Ecclesiarum pertinere potest institutio, sicut in *cap. cum venissent extra de Institutionibus*; præferatur secundo loco præsentatus primo præsentato: quia non tantum habet præsentationem, sed

etiam institutionem, quæ potissimum inspicitur in obtinendis Beneficiis secundum vulgarem illam regulam *Beneficia sine institutione canonica non possunt obtineri*. Nec juvat possessorem cuiuslibet temporis possessio sine titulo & institutione canonica. Episcopus autem & alii Prælati, qui jus habent instituendi, meritò dicuntur habere plus juris in institutione, seu collatione, quam Patroni in præsentatione cap. 6. *Extra de Officio Legati*. Jure nempe divino & communi Episcopus nititur, quo omnes Ecclesiæ positæ in diœcesi alicujus Episcopi, ad ejus institutionem & ordinacionem pertinent: Patronis Laicis verò jure singulari ex æquitate contra Juris regulas jus præsentandi benignè indulgetur cap. 3. hoc sit. Hactenus de patrono Laico.

Ecclesiasticus verò Patronus, qui nempe non ratione sui patrimonii, sed Ecclesiæ vel Beneficii, quod obtinet, & cui est annexum jus Patronatus, & habet per consequens jus præsentandi; si non idoneum præsentet, variare non potest: & pro hac vice privatur jure suo; sicut & ille qui indignum eligit capit. cum in cunctis *Extra de Electionibus*, & privatæ jure suo, quod ad Ordinarium recurrit: quod & *Glossa capituli 4. de Officio Judicis Ordinarii* non immeritò trahit & ad eum casum, quo Clerici jus habent nominationis ratione patrimonii sui. Si verò aliquem idoneum semel nominaverint Clerici, quos nec variare posse, nec debere diximus, necessitas imponit Episcopo omnimodo præsentati admittendi. Idemque habet locum si vel Collegio Ecclesiastico, vel Monasterio jus Patronatus competit.

Observandum tamen: si Laicus, qui semel idoneum Clericum præsentaverit, in sua præsentatione perseveret: tunc si Episcopus alium, spredo Patrono, instituat; veteri quidem jure nulla erat ordinatio vel institutio Episcopi *Can. decernimus & seqq. xvi. Quæst. 7. & arg. capituli cum Bertoldus de sententia & re judicata*: per interpretationem verò & usu receptum est, ut institutio Episcopi spredo Patrono facta, ipso quidem jure sustineatur; sed sententia Judicis irrita possit declarari & rescindi.

Observandum etiam S. Pontificem & ejus Legatum ex beneficio singulari Pontificis, posse non tantum in Ecclesia vacante, spredo Patrono, instituere Clericum, sed etiam nondum vacantem sibi reservare cap. 28. hoc tit. & cap. dilectus de Officio Legati. Quod quidem jus in Laicos Patronos propter plenitudinem potestatis S. Pontifex sibi retinuit: Legatis non competit. Moribus tamen nostris Laici Patroni Regum nostrorum & Magistratum autoritate muniuntur adversus nova hujusmodi jura: quibus inconsultis & ignorantibus Patronis Laicis, qualibet autoritate, etiam Pontificiâ, non potest derogari juri Patronatus Laico. Quoniam autem Patronos Laicos variare posse diximus, & saepius nominare: medio tempore ne quid detrimenti pateretur Ecclesia in spiritualibus, vel in temporalibus; qui sacra ministeria obirent præfiebantur ab Episcopis, & Oeconomi qui fructus perciperent & redditus omnes, eosque aut in utilitatem Ecclesiæ illius expenderent, aut futuris Personis fideliter reservarent cap. 4. de Officio Judicis Ordinarii. Personis ait, id est Plebanis, seu Rectoribus, qui in libris nostris, & in Scriptoribus Gallicanis & Anglicanis Personæ vocari solent; sicut & apud eosdem specialiter Advocatia & Advocatus pro Patrono, vel pro jure

Patronatus passim accipitur. Quod verò dictum est de Oeconomis constituendis, intellige quoties Patronatus ad Laicos pertinet; quamvis & ad Laicos & jus Patronatus, & jus custodiæ simul pertineat. Ecclesiastici autem, quibus jus Patronatus Ecclesiasticum simul & custodiæ competit, possunt constituere Oeconomos intra illos sex menses, quibus de præsentando Clerico idoneo facultas eis permittitur. In Ecclesiasticis enim personis & Collegiis non adeò metuitur dilapidatio, quoniam si redditibus abutantur, pœnis & censuris Ecclesiasticis, & subtractione reddituum facilius rediguntur in ordinem, sicut rectè ad dictum capit. 4. Interpretes observant.

Postremò quoniam culpa non vacat Episcopus, qui Clericum idoneum à Laïco primo loco præsentatum instituere recusavit, non immeritò hac pœna coercetur ab Innocentio III. in cap. 29. hoc tit. ut eidem compellatur providere in competenti Beneficio; quod & confirmari rectè solet cap. 2. & 3. de Præbendis supra.

AD §. I. CAPITULI V. ET AD CAP. VIII.
XVII. ET XX.

Pertinent hæc Capitula, quibus similia multa reperiuntur in Decretilibus, præcipue sub tit. *de donationibus & de decimis*, ad donationes Ecclesiarum à Laïcis factas, sive ad concessiones Decimarum, possessionum Ecclesiasticarum, Oblationum & aliorum jurium Ecclesiastorum, quæ fieri erant solitæ Clericis, Collegiis, vel Capitulis Clericorum & Canonicorum, vel Monasteriis. Explicatur verò in his *capitulis*, quid requiratur, ut rectè & utiliter fiant. Propter similitudinem etiam conjunctim tractatur de donationibus juris Patronatus. Plurima autem Capitula pertinent ad Ecclesiam Anglicanam, sicut & *caput 4. & 7. Extra de donationibus*, quoniam Ecclesiarum possessiones, Decimas, Oblationes, & omnes ferè redditus Ecclesiasticos improbè & sacrilegè Angliae Proceres in suam potestatem redegerant. Sententia verò Capitulorum hæc est. Postquam sacrificæ invasiones Conciliorum sæpius iteratis Canonibus prohibitæ fuerunt, pœnis gravissimis propositis; pluri mi Laïci pœnitentia & religione ducti restituebant possessiones, decimas & quicquid juris Ecclesiastici improbè rapuerant, quæsito colore donationis & cessionis, vel iis ipsis Ecclesiis, quibus abstulerant: quod æquius & convenientius erat; vel etiam Clericis, Capitulis, Collegiis, vel Monasteriis donabant: & quidem sæpiissimè in fundationibus Monasteriorum Ecclesias & redditus Ecclesiarum conferebant. Quoniam tamen in hujusmodi donationibus præsumebantur plurima contra Canones; nec etiam liberalitatis & pietatis causâ peragebantur; sed Laïci aliquando pecuniâ acceptâ, vel muneribus à Clericis, vel Monachis opima Beneficia venantibus, donationes titulo & nomine tenus faciebant: præterea absurdum erat Laicos, qui nullum jus in Ecclesias & Ecclesiastica jura sibi vindicare possunt, hanc sibi potestatem arrogare, ut eas in alios transferant: idèò hujusmodi donationes irritæ & pro non factis declarantur; nisi Diœcesani autoritas & consensus, vel in facienda donatione intervenierit, vel postea subsecutus fuerit; aut etiam legitima præscriptio

quadraginta scilicet annorum, ut h̄ic recte Interpretes, post donationem fluxerit cap. 10. II. & 20. hoc tit. vel quod rectius est Episcopi ipsi, qui in Ecclesiis omnes suæ Diœcesis jus legitimum obtinent, ejusmodi Ecclesiis concederent & donaverint, adhibito tantum assensu Laicorum, qui illas usurpaverant, ut in cap. 7. *pastoralis supra, Extra de donationibus.*

Quod si Episcopus improbitatis vel avaritiæ causâ consentire nollet, appellatione vel querelâ depositâ apud S. Pontificem, eâque ritè & legitime probatâ; cum consensu Pontificis donatio perficiebatur cap. 17. hoc tit. dummodò tamen causa cognita, ut diximus, constaret S. Pontifici Diœcesanum improbè recusavisse consensum: alioquin jure suo absque ulla culpa sua privari non debet.

Quæsitum verò fuit ab Interpretibus, & tractatum diutissimè ad cap. 5. & 8. *hujus tit.* an sicut in donandis & concedendis Ecclesiis à Laicis Episcopi consensus desideratur; ita etiam si Patroni jus Patronatus concedant & donent, vel Ecclesiis ipsis, in quas jus Patronatus habent, vel etiam aliis Ecclesiis, Collegiis, Monasteriis, aut locis Religiosis, sine consensu Episcopi, hujusmodi donatio & concessio firma & rata haberri debeat. Et quidem Glossa Episcopi consensum desiderare videtur, eamque opinionem confirmare tentat cap. 8. II. 17. & 20. *hoc tit. & capit. consultationibus & cap. pastoralis supra de donationibus.* Contra tamen & verius alii Interpretes, quorum etiam Glossa in dictis capitulis meminit, asserunt non opus esse consensu Diœcesani Episcopi quoties datur jus Patronatus. Et ut intelligantur quæ in contrarium Glossa attulit, constituenda primùm differentia inter donationes Ecclesiistarum, Decimarum, Oblationum, vel alicujus juris Ecclesiastici à Laicis factas, sicut diximus, & inter donationem juris Patronatus.

In donationibus juris Patronatus necessarium non esse Episcopi consensum hæc verba *capituli 8.* indicant apertissimè, licet Religiosa loco *jus Patronatus conferendi liberam habeat potestatem.* Liberam, id est sine autoritate Episcopi, sine qua autoritate donare Ecclesiæ decimas, vel aliud quid Ecclesiastici juris non potest. Et de hujusmodi donationibus intelligendum cap. 5. §. I. II. 17. Idemque dicendum est de *capitulis duobus*, quæ Glossa allegat ex *tit. de donationibus.* In quibus donationibus mirum non est, si necessariò adhibendus sit Episcopi consensus: quia Laicus nullum omnino jus in Ecclesiis, earumque redditus, possessiones, decimas & oblationes sibi vindicare potest. Ea enim omnia ad Episcopum pertinent, cuius merito consensus requiritur. Nam & donare potius per se videtur Ecclesiæ earumque bona, quam Laicus, qui potius restituere dicendus est in redemptionem animæ, quod sacrilegè & improbè ipse vel ejus Antecessores usurpaverant. In *cap. vero pastoralis Extra de donationibus*, & *cap. 20. hoc tit.* non agitur de donationibus à Laicis factis, sed ab Episcopis, adhibito tamen Patronorum consensu, quorum juribus in illas Ecclesiis derogare non licet. Ex his itaque constat optima ratione Patronos jus Patronatus, inconsultis Episcopis transferre posse donationis titulo in Ecclesiis, Collegia & alia Religiosa loca.

Observandum tamen in *cap. 10. & ult. hoc tit.* dici à Patronis, sive Cle-

ricis , sive Laicis Ecclesiis concedi non quidem eo sensu , quo mox diximus , sed eo ut proprio arbitrio , inconsultis Episcopis , nec expectato eorum consensu & institutione sive collatione , Ecclesiis concedant alicui Clerico : quæ absoluta concessio nullius est momenti : expectandus enim est consensus Episcopi ad quem pertinet ordinatio & institutio omnium Ecclesiarum in sua Diœcesi . sicut ostendimus in parte 1. capituli 5. hoc tit.

Non diffiteor tamen non tantum Interpretes , sed etiam Autores ipsos in hac quæstione non semper idem sensisse . Nam in antiqua *Decretali* in cap. 7. *Collectione* 1. *hoc tit.* in qua separatur rectè donatio Ecclesiarum à donatione Juris Patronatus Episcopi consensus etiam in donatione Juris Patronatus requiritur . Contra tamen Raymundus illam clausulam de Jure Patronatus omisit : & plane contrariam inseruit ejusdem Autoris Alexandri III. in cap. 8. *hoc tit.* Denique omnem dubitationem Bonifacius VIII. ademit in cap. 1. *de Jure Patronatus* in vi. in quo ait non esse opus Episcopi consensus in donatione Juris Patronatus facta Ecclesiis vel Religiosis locis ; ita tamen ut per hujusmodi donationes Juris Patronatus , Episcopi qui non consenserit juribus non derogetur , sicut & in cap. 13. *hoc tit.* deciditur . Constat itaque irritas esse donationes Ecclesiarum , Decimarum , Oblationum , inconsulto Episcopo , factas ; imò nec omnino intelligi factas fuisse : si tamen postea Episcopus hujusmodi donationes ratas habuerit , confirmantur ex post facto cap. 11. & 20. *hoc tit.* Idemque respondendum , si proponatur diversis temporibus easdem Ecclesiis à Laicis donatas fuisse ; ita ut Episcopus posteriori loco factæ tantum consenserit , vel eam ratam habuerit . Pravalebit enim , quæ posterior est ordine temporis cap. 8. & 20. *hoc tit.* quoniam Episcopus , qui jus omne habet in Ecclesiis , confirmat donationem , quæ pro non facta habebatur . Laicus enim donavit quod ejus non fuit , & quod jure obtinere non potuit ; adeoque ex abusu rerum nato abusu verborum , Laicus impropiè donare & concedere Ecclesiis , Decimas , & Jura Ecclesiastica dicitur . Non dissimili ratione si Laicus vel etiam Ecclesiasticus Patronus , sive Clericus sive Monachus non tantum vacantibus Ecclesiis præsentaverit Clericos , quod eis licet ; sed præterea præsumpsit ipsos Presbyteros inducere in Ecclesiis , easque pleno jure , ut loquuntur , conferre , irrita erit hujusmodi collatio & nulla ; ita ut si alium postea præsentaverit Episcopo , qui ab eo admittatur & instituatur , ei præteretur cui priùs non jure collata fuerat Ecclesia cap. 8. & ult. *hoc tit.* *Can. 6.* & 7. *xvi.* *Qu. 2.* & *Can. 11.* *37.* & 38. *xvi.* *Qu. 7.* & cap. 1. *Extra de Capellis Monachorum.*

Præterea ex dicto cap. 8. *hoc titulo* notandum apertissimè confirmari quod supra diximus , institutionem factam ab Episcopo vel alio Prælato absque præsentatione & consensu Patroni , eoque contempto , quamvis ipso jure vulgè existimetur valere , irritandam tamen esse : hoc est hujusmodi institutio sive collatio per sententiam Judicis irrita declarari debet , Patrono conquerente *Can. decernimus* *xvi.* *Qu. 7.* Quæ verò de donationibus Ecclesiarum , Decimarum & Oblationum à Laicis factis Ecclesiis , vel Monasteriis cum Episcopi consensu diximus ; ita intelligendum esse addimus , ut non tam donationes quæni restitutiones indebitè usurpatarum Ecclesiarum & jurium Ecclesiasticorum reputentur , quæ eis sacerdotiis

piùs repetitis Conciliorum Canonibus injunctæ fuerunt; ita ut non restituente, crimen sacrilegii & æternæ damnationis periculum incurrere statuantur. Quam in rem plures Canones observabimus (*Can. 1. 2. 3. 12. usque ad 20. Can. 23. 24. 39 40. XVI.* *Qu. 7.* quibus addendi *Canon 4.* Concilii Cabilonensis sub Stephano V. Papa, Concilii Tolosani sub Victore II. *Canon Item placuit.* & *Can. Inter hæc;* Concilii Romani sub Nicolao II. *Canon 5.* juncto *Canone 3. XVI.* *Qu. 2.* & aliud Concilium Rom. sub Alexandro II. & in *Apologetico Gregorii VII. cap. 6. 7.* & 8. & in Synodo Rom. sub eodem *Canon Decimas,* & *Canon Ut nullus:* quos in hanc rem valde notandos exscribemus. *Decimas*, quas in usu pietatis concessas esse *Canonica autoritas demonstrat*, à *Laicis possideri autoritate Apostolica prohibemus.* Sive enim ab *Episcopis*, vel *Regibus*, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesia reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, & æterna damnationis periculum incurrere. Et in *Can. Ut nullus.* *Ut nullus Abbas decimas & primitias, & reliqua, quæ secundum statuta Canonum ad Episcopos pertinent, sine autoritate Rom. Pontificis, seu Episcopi consensu, in cuius diœcesi habitat, detineant, autoritate Apostolica firmamus.* Qui *Canones* sæpius propter necessitatem repetiti fuerunt. Et quidem in Concilio Lateran. sub Calixto II. *Can. 4. 7. & 18.* & in alio generali Lateran. sub Innoc. II. *Can. 10.* & in Concilio Remensi sub Eugenio III. *Can. 8.* & inter Alexandi III. epistolas epist. 28. scripta ad omnes Episcopos Angliæ: cui planè simile est *Capitulum 21. hoc tit.* & *cap. 3. supra de Institutionibus*, quæ ad Angliam pariter pertinent, eodemque tempore scripta fuerunt, sicut & alia pleraque *Capitula* *hujus Tituli;* eo saltem tempore, quo Thomas Cantuariensis adversus usurpatores Ecclesiarum Laicos & Clericos, & ipsum Regem acriter insurrexit. In dictæ itaque *epistola 28.* initio ait Alexander, post instantem turbationem, quæ inter Henricum Angliæ Regem & Thomam Cantuariensem Archiepiscopum emerserat, quandam pravam consuetudinem in illis partibus inoleville, qua Laici Ecclesiæ & Ecclesiastica Beneficia usurpaverant per universum Regnum Angliæ; ita ut quibus vellent Clericis autoritate propria etiam invitis Episcopis conferrent & in possessionem inducerent. Statuit vero Pontifex ut universi, qui Ecclesiæ, Præbendas, vel quæcumque alia Beneficia de manu Laicorum suscepissent, cum fructibus inde perceptis in manus Prælatorum resignent, & eis ad quorum ordinationem jure Ecclesiastico pertinent, disponendas relinquant. Quod & plerisque Conciliis per ducentos ferè annos cautum fuit. Et quidem in Concilio Lateranensi generali sub Alexando III. *Can. 14.* ex quo sumptum *caput 4. supra hoc tit.* & in *Collectione* variarum Decretalium post dictum Concilium Lateran. parte 14. *cap. 5.* Cujus inscriptio Cantuariensi Archiepiscopo & ejus Suffraganeis dirigitur, Pontifex ita loquitur: *Cum viri Ecclesiastici per nos aut per alias personas Ecclesiasticas in Ecclesiis secundum statuta Canonum ordinantur; Laici, qui forte aliquando contra Ecclesiasticam ordinationem eas usurpare (nempe occupaverant illas Ecclesiæ) consueverunt in periculum sua salutis, in tantam vesaniam & furorem prorumpunt, ut Ecclesiasticos viros canonice in ipsis Ecclesiis ordinatos, multis injuriis & verberibus afficerent, & interdum occidere non vererentur.* Quod & iterum severissimè prohibetur.



Can. 45. Concilii Generalis Lateranensis sub Innocentio III.

Supereft ut subjiciamus & indicemus exempla aliquot insignia donationum , vel potius restitutionum hujusmodi Ecclesiarum , possessionum , reddituumque , decimarum , primitiarum & oblationum , quæ à Laïcis in redemptionem animæ , sensu pietatis instigante , factæ fuerunt vel ipsis Ecclesiis spoliatis , vel aliis Ecclesiis , Capitulis , Collegiis , vel Monasteriis , eum consensu tamen & autoritate Episcoporum . Et quidem supra ad cap. 4. duo exempla retulimus ex *Promptuario antiquitatum Ecclesiae Tricassina pag. 308.* in qua continetur donatio quædam , vel potius restitutio à quodam Nobili facta anno Domini 1114. jurium & redditum usurpatorum in Ecclesia sanctæ Mariæ & S. Lupi: quæ donatio eidem Ecclesiae facta est. Et quidem hujusmodi donationes non videntur desiderasse consensum Episcoporum . Extat alia ibidem donatio pag. 372. & seqq. cui subjicitur confirmatio Episcopi Trecensis cum Cleri consensu pag. 374. Similes plures observamus ex *Codice piarum Donationum Auberti Miræi cap. 21.* & cap. 31. in quo Arnulphus I. Flandriæ Comes prædia varia & redditus Ecclesiasticos cum consensu Regis & hortatu Transmari Noviomensis & Tornacensis Episcopi anno Domini 935. ad cujus diœcesim pertinebant , restituuit Blandiniensi Monasterio . Et in cap. 34. dotatur Ecclesia Brugensis de consensu & voluntate Episcoporum Tornacensis & Morinensis , restituzione facta plurimum Ecclesiarum & decimarum , quas offert in dotem Ecclesiae recens ædificatae , in qua hæc verba notanda : *Quasdam decimas , ait , se concedere de iis , quas sibi & suis Prædecessoribus in Comitatu Flandria de terris cultis & incultis Papæ Romani pro adjutorio expensarum suarum & suorum militum , pro expugnatione ac resistentia contra Wandalos , id est Normanos , qui Flandriam & alias terras vicinas cum Ecclesiis in ipsis constructis vastabant , in feudum perpetuum concesserunt.* Adde & cap. 47. 50. 58. & 82. Similes aliquot ex veteribus Chartulariis Monasteriorum quorumdam Galliæ descripsit nuper Autor *Tractatus Gallici de Alloio sub tertia stirpe Regnum nostrorum pag. 285. 286.* & seqq. Eamque etiam ob causam bella suscepta à Regibus nostris adversus Regni Proceres ad restitutionem bonorum Ecclesiasticorum ex fide historiæ constat circa an. 1103.

A D C A P. VI. E T X V.

Trumque Capitulum potissimum spectat ad confirmationem duarum regularum Juris Canonici , 1º. Sanctuarium Domini jure hæreditario non debere obtineri. 2º. Ecclesiæ autoritate propria Patronorum sive Ecclesiasticorum , sive Laicorum , inconsultis Episcopis , pleno jure concedi & conferri non posse : irritam & nullam esse hujusmodi concessionem. Quam regulam in superioribus Capitulis pluribus explicuimus. Adversus utramque regulam multa obliquè & in fraudem tam Laïci , quam Clerici moliebantur. Et quidem Clerici non illi tantum , qui in minoribus erant constituti , sed etiam Presbyteri jura Patronatus vel in Ecclesiis quas obtinebant , vel in aliis comparare nitebantur quoctunque titulo , sive lucrativo , sive oneroſo ; ut

postmodum filios vel nepotes suos in hujusmodi Ecclesiis præsentarent. Filios, inquam, vel nepotes, sive legitimos, e. c. vel ante Sacerdotium, vel in minoribus Ordinibus procreatos; vel spurios, id est post Subdiacanatum, Diaconatum & Sacerdotium suscepitos, contra prohibitionem Canonum. Hoc amplius in *cap. consuluit 15.* Clerici quidam autoritate propria, id est inconsultis Episcopis, constructas & fundatas Ecclesiæ à parentibus detinere, & sibi vindicare hereditario jure contendebant: vel etiam Laici fundatores filii suis, vel nepotibus, aut quibuscumque aliis Laicis Ecclesiæ vel Beneficia, in quibus Jus Patronatus habebant, ignorantibus, aut non consentientibus Episcopis, concedebant, sicut in *cap. 10. & 15. hoc tit. in antiqua Decretali.* Non contenti nempe Patroni jure proprio nominationis, vel præsentationis, præsumebant plena jure conferre Ecclesiæ: quod in *dicto Capitulo 15.* prohibet Pontifex.

Sed ut redeamus ad interpretationem *Cap. 6. observandum in Anglia pravam illam consuetudinem diutissimè obtinuisse contra Conciliorum generalium, SS. Pontificum & Angliæ Episcoporum repetitas sæpiùs prohibiciones, ut scilicet Clerici non tantum in minoribus Ordinibus constituti, sed etiam in sacris: ipsi quinimò Presbyteri, & aliquando Episcopi uxores in speciem, vel potius concubinas ducerent, & contubernia verius quam matrimonia, si non de jure, saltem de facto contraherent, liberisque procreatis ex turpibus & nefariis hujusmodi conjunctionibus, quibuscumque artibus, in Ecclesiæ paternis successionem & locum acquirere nitebantur. Unde constitutum generaliter, ne unquam in Ecclesiæ, quas parentes obtinuissent, vel in quibus ministrassent, nullâ mediâ personâ interveniente, Presbyterorum filii, sive legitimi, sive post Sacerdotium geniti, admitterentur: imò nequidem in Ecclesiæ, in quibus eorum parentes Rectores fuerunt, Vicarii fieri poterant: idemque in Canonicatibus rescriptum. Quod si contra fieret, ab Episcopis appellatione etiam ad Sedem Apostolicam remota, ab hujusmodi Beneficiis & Ecclesiæ removebantur *cap. 2. 4. 5. 10. 11. & 13. Extra de filiis Presbyterorum ordinandis vel non.* Intelligendum nisi dispensatum fuerit cum his, vel ab ipso Summo Pontifice, vel ab Episcopis quibus specialiter Pontifex indulserit *cap. 9. 14. penult. & ult. eodem tit.* Et quidem ad explicationem *Capituli 6. hoc tit.* quod scriptum est ab Alexandro III. Exoniensi Episcopo, suffraganeo Cantuariensi, valdè pertinet quod ad alium. Exoniensem Episcopum super eodem articulo scripsit Innocentius III. lib. 5. Registri his verbis: *Sanè ad audienciam nostram pervenit, quod in Exoniensi Diœcesi plerumque contingit, ut decadentibus Ecclesiæ Vicariis & personis, eorum filii absque conscientia tua Ecclesiæ vacantes invadant, & ut eas licentius valeant detinere, ac tuam autoritatem eludent, ad nos vocem appellationis emittunt, & sanctuarium Dei nituntur jure hereditario possidere. Volentes igitur obviare, sicut convenit, huic pesti; Fraternitati tue autoritate presentium indulgemus, ut filios Clericorum, quos in Ecclesiæ diœcesis tue, nullo medio, inveneris substitutos, Ecclesiæ & Ecclesiasticæ Beneficiis spolies taliter occupatis, non obstante appellationis objectu, qua interponitur in elusionem Ecclesiastica disciplina.* Et ne quacumque ratione vel jure consanguinitatis, aut hereditario Ecclesiæ, Præbendæ, Præposituræ, & Capellaniæ, sive quælibet Dignitates, & alia Ecclesiastica Beneficiæ*

cia & Officia vindicarentur ; sæpius Canonibus prohibitum *Can. i. 2.* & sequentibus usque ad 8. *Causa viii.* *Qu. i.* juncto cap. i. de *Prebendis Extra.* Potissimum verò hujusmodi abusus metuendi erant in parentibus Ecclesiasticis , vel Laicis , qui in liberos naturali ratione sunt propensiores ; ut prohibeantur quibuslibet modis successionem in Beneficiis liberis suis procurare.

Sequitur ut probemus pluribus , quod supra & initio attigimus , de filiis Presbyterorum , Diaconorum & Subdiaconorum , qui sacris Ordinibus sunt initiati , sive hujusmodi liberi ante , sive post sacros Ordines procreati fuerint : itemque de liberis Clericorum , qui in minoribus Ordinibus constituti sunt. Et quidem in Occidentali Ecclesia certissimum est continentiam injunctam illis , qui in sacris Ordinibus constituti sunt usque ad Subdiaconatum inclusivè ; adeò ut si quas anteà suscepissent uxores , diuinitere cogerentur , multoque magis si post sacros Ordines illas duxissent. Quod si in minoribus Ordinibus constituti forent , ad retinendas uxores , & relinquenda , seu resignanda Beneficia compellebantur inviti jure summo (*Can. 2. 3. 4. 5. 6.* & *7. Dist. xxxi.* & *xxxii.* per totum cap. i. 2. 3. 4. & 5. de *Clericis conjugatis.*) Quæ Capitula omnia pertinent ad Angliam , sicut etiam ferè omnia Capitula *Tituli de filiis Presbyterorum Ordinandis vel non :* qui duo tituli meritò conjungendi sunt. Ex quibus colligimus , quamvis saepius in Anglia Conciliis & Apostolicis Constitutionibus prohibita fuerint matrimonia , vel potius contubernia eorum , qui in sacris erant constituti ; prævalente tamen corruptela , non obtemperatum.

Ex hoc primo errore facile alter sequebatur , ut nempe quibuslibet artibus parentes hujusmodi liberos illegitimos jure hæreditario in suis Ecclesiis instituere niterentur : quod severissimè quidem prohibitum fuit , eamque in rem observanda sunt ex plerisque Conciliis Anglicanis , Londinense imprimis sub Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo habitum anno Domini 1102. Cujus Canones studiosè collegit Guillelmus Malmesburiensis lib. i. de *gestis Pontificum Anglorum* : & confirmatur apertissimè epistolis iphius Anselmi 62. & 122. in quibus mentio fit illius Concilii & Canonum in eo editorum. De quo Concilio Londinensi sub Anselmo , quod pertinet ad hunc articulum ita Matthæus Paris loquitur ad annum 1102. sub Henrico I. *In hoc Concilio Sacerdotes concubinarios excommunicavit , nisi eas de cetero amoverent. Hoc autem bonum quibusdam visum est , & quibusdam pericolosum ; ne dum munditas viribus majores expeterent , in immunditas laberentur deteriores.* Per consequens in eo Concilio prohibitum ut filii Presbyterorum non essent hæredes Ecclesiarum patrum suorum. Idem Guillelmus Malmesburiensis loquitur ea de re. *Ceterum de Decreatis Conciliorum ab Anselmo celebratorum nihil attinet dicere , cum omnia iam obsoleta sciantur deperiisse.* Et post pauca. *In nullo enim ei efficaciter obtemperatum. Sed omnibus penè prætentâ excusatio , qua vel prædicando docuit , vel interminando prohibuit.* Quamvis & ante Anselmum districtissimè conjugia Clericorum in sacris Ordinibus positorum prohibita saepius fuerint in Anglia , secundum jus commune universæ Ecclesiæ Occidentalis , ut eruditè observavit Picardus in *Anselmi epist. 62. lib. 3.* Ideoque post Anselmum saepius iterandæ fuerunt ab ejus successoribus hujusmodi pro-

hibitiones; quibus injungendis & observandis diligentissimam operam adhibuit D. Thomas Cantuariensis, & ejus successor Richardus, Cantuarienses Archiepiscopi, qui sub Alexandro III. vixerunt. Potissimum verò in eam rem celebria sunt duo Concilia super reformatione Ecclesiæ Anglicanæ celebrata. Abrincense sub Alexandro III. anno 1172. paulò post mortem sancti Thoinæ, in quo inter alia statuitur, *ut filii Sacerdotum non ponantur in Ecclesiis patrum suorum.* Et Londinense sub dicto Richardo anno 1175. ubi *Can. 1.* apertius constituitur, *ut si infra Subdiaconatum constituti (Clerici) matrimonia contraxerint, ab uxoribus suis nullatenus separentur, sed cum uxoribus viventes Ecclesiastica Beneficia nullatenus percipiant: qui autem in Subdiaconatu vel supra ad matrimonia convolaverint, mulieres etiam invitatis & renitentes relinquant.* Decrevisimus etiam ejusdem epistola autoritate, ne filii Sacerdotum in paternis Ecclesiis amodò persone instituantur, nec eas qualibet occasione, mediâ non intercedente personâ, obtineant. Epistola, cuius autoritate Patres Concilii utuntur, vel est illa, quam Alexander III. scripsit Archiepiscopo Cantuariensi & ejus Suffraganeis, cuius inscriptio & pars *1.* extat in *cap. 5.* de cohabitatione Clericorum & mulierum, & in *cap. 1.* de Clericis conjugatis in *Collectione 1.* eoque pertinet *cap. 11.* ejusdem Alexandri III. titulo de filiis Presbyterorum ordinandis vel non. Vel potuerunt etiam Patres dicti Concilii intelligere epistolam quandam ejusdem Alexandri scriptam Episcopo Vigorniensi, cuius pars extat in *cap. 4.* de Clericis conjugatis in *Collect. 1.* ex quo exscripta videntur verba Canonis dicti Concilii. Ad eandem rem pertinent pleraque Constitutiones ejusdem Alexandri & ejus successorum relatæ sub dicto *titulo de Clericorum cohabitatione & mulierum,* & sub tit. *de Clericis conjugatis & tit. de filiis Presbyterorum ordinandis vel non.* Nec omnino expers fuit herum malorum Gallia nostra; quæ tamen repressa fuerunt Regum nostrorum autoritate & Episcoporum nostrorum sollicitudine, ut constat ex epist. Ivonis 200. & 218.

Utroque tamen casu Pontifices sapissime propter multitudinem delinquentium cum Clericis inferiorum Ordinum dispensare fuerunt coacti, ut Ecclesiastica Beneficia etiam conjugati retinerent, quibus Beneficiis sine discrimine magno ac effusione sanguinis non poterant privari, sicut loquitur Alexander tertius in *cap. 3.* de Clericis conjugatis in *1. Collect.* Et post Alexandrum III. Gregorius VIII. eodem tit. *cap. 6.* aliam rationem subjicit hujus, ut ait, dissimulationis vel dispensationis, *ne prædicti Clerici Beneficii Ecclesiastici auxilio destituti, ad turpia & sacraria lucra sectanda redire cogerentur;* cum multi concubinarii & adulteri de bonis Ecclesia sustententur: *& in minoribus constitutos ordinibus & legitime conjugatos à Beneficio Ecclesiastico sacri Canones non repellant.* Jubet itaque Beneficium ademptum conjugato restitui ab Episcopo suo, unde sustentari valeret extra fratrum consortium. Quæ verba postrema desumpta sunt ex *Can. 8.* quia tua fraternitas *xii.* *Quæst. 1.* ex epist. Gregorii I. ad interrogations Augustini Anglorum Episcopi responsione *2.* quæ epistola inserta est etiam à Venerabili Beda in *Historia Ecclesiastica gentis Anglorum lib. 1. cap. 17.* ideoque non male à Glossa notatur in *Capitulo Joannes in fine cod. tit. in hæc verba;* dummodo nullum percipiat

piat Ecclesiasticum Beneficium : Clericum conjugatum , in minoribus constitutum , posse habere Beneficium ex dispensatione Papæ . Quod de simplicibus tamen Beneficiis intelligendum est ; non autem de illis , quæ habent curam animarum annexam , nec etiam de Dignitatibus Ecclesiasticis cap. ult. de Clericis conjugatis in 1. Collectione & capit. cum decorum Extra eodem tit.

Non dissimili valde ratione SS. Pontifices cum filiis illegitimis Presbyterorum & aliorum in sacris positorum , ad Beneficia Ecclesiastica ut admitterentur , dispensare solebant : quia non suo , sed alieno vito laborant . Quinimò si eorum merita plurimum suffragentur , in Beneficiis paternis succedere modis legitimis scilicet , conniventibus oculis Pontifices tolerebant cap. 2. de filiis Presbyterorum in 2. Collectione , cap. penult. & ult. hoc tit. Permissum etiam Episcopis generaliter , ut cum hujusmodi filiis Presbyterorum dispensare possint , ut ad minores Ordines & ad Ecclesiastica Beneficia simplicia promoveantur , non autem ut ad sacros Ordines , vel ad Beneficia habentia curam animarum , vel ad Personatus & Dignitates admittantur , ut Glossa notat ad cap. 1. de filiis Presbyterorum in vi. argumento capituli ult. de præbendis . Nam ut eleganter ait Ivo Carnotensis in doctissima Praefatione Decreti : Quidam Romani Pontifices decreverunt , ne filii Presbyterorum assumerentur ad Presbyteratum ; non quod personaram acceptio apud Deum sit alicuius momenti ; vel natura , qua omnium par est genitrix , ab aliquo possit reprehendi ; vel filii pro iniuitate parentum condemnari , &c. Et postea : Sed ad reprimendam quorundam Presbyterorum incontinentiam , vel tutius munierandam aliorum continentiam . Sed quia ex his quasdam personas non tantum religiosas , sed etiam Ecclesia Dei necessarias esse cognoverunt , decretum temperaverunt : & ita genitos , quorum conversatio in Monasteriis , vel Religiosis Ecclesiis probata fuerit , non solum ab Presbyteratum , sed etiam ad summum Sacerdotium promoveri permiserint . Quod deinde pluribus exemplis confirmat , quæ referuntur etiam Cen 1. 2. 11. 12. & 13. Dist. LXVI.

Superest ut duas quæstiones , ab Interpretibus ad hæc duo Capitula propositas , solvamus . Et quidem ad Capitulum 6. in quo Clerici Adocationibus dicuntur spoliari debere , id est jure Patronatus , quod ideo comparaverunt , ut liberos suos ad easdem Ecclesias præsentarent ; queritur quænam sit pœna venditoris , & utrum ad venditorem redeat jus Patronatus , irritâ nempe & nullâ hujusmodi venditione constitutâ , perinde ac si nihil actum foret , cap. 16. hoc tit. An verò Patronus amittat jus Patronatus , quod Ecclesiæ , in qua constitutum fuerat , consolidetur . Et quidem ea videtur præferenda sententia , venditorem Laicum non privari jure Patronatus , quia in dicto capitulo nulla pœna venditori Patrono imponitur , sed tantum emptori : & notissimum est pœnas & sanctiones Legum & Canonum extra suos terminos non esse producendas . Superest tamen querendum , utram emptori competat aliqua actio ad pretium repetendum , vel ex empto , vel condicione saltem ex æquitate . Et quidem non videbatur danda actio ex empto , quia diximus irritum fuisse & nullum contractum emptionis venditionis : naturali tamen ratione & æquitate constat pretium repeti posse ab emptore , condicione causa data , causa non secuta , vel sine causa , sicut in Lege 22. & 23. ff.

de contrahenda emptione & Lege 2. ff. de condicione sine causa. Iniquum enim est venditorem cum emptoris damno fieri locupletiorem. Poterit tamen dari actio ex empto, quam tandem receptum est posse concurrens cum condicione sine causa, quoties emptionis contractus irritus, vel finitus & resolutus proponitur, sicut in eleganti specie Legis 11. §. is qui vina ff. de actionibus empti, & argumento Legis 3. ff. de condicione sine causa, & Lege 5. si tutor ff. de Tutela & rationibus distrahabendis.

Secunda quæstione tractatur ab Interpretibus ad cap. 6. & 15. an pater, qui jus Patronatus legitimis modis obtinet, suum filium præsentare possit. Glossa & Interpretes respondent posse, quamvis Patronus seipsum præsentare non possit, ne confundatur presentati & presentantis persona *capitulo per nostras hoc tit.* Nec enim Jus Canonicum in hoc articulo subtilitatem Juris Civilis inspicit, quâ propter vinculum potestatis filius eadem persona cum patre intelligitur. In rei enim veritate alia est persona patris, alia persona filii. Quinimò & Jure Civili in publicis negotiis non attenditur illa ratio potestatis, sicut & in plerisque moribus nostris valdè immunita fuit. Non obstat etiam *Capitulum 15. hoc tit.* in quo non de præsentatione, sed de concessione Ecclesiæ propriâ autoritate facta à patre, inconsulto Episcopo, fit mentio: quod Canonicibus nominatim prohibitum fuisse non tantum patribus, sed etiam quibuslibet probavimus.

AD CAP. VII. ET XIX.

Species elegans hujus *Capituli 7.* ex integra *Decretali*, & sententia meliorum Interpretum ita proponi potest. Abbatissa quædam locationalis titulo (quam dationem in *firmam* appellat) villam cuidam Militi concederat, in qua villa sita erat Ecclesia, in quam proprietario villæ jus Patronatus competebat. Mortua persona Ecclesiæ, id est Rectore, sive Plebano, Miles conductor villæ ad vacantem Ecclesiam Diœcesano Episcopo Salesberiensi præsentat Clericum, quem Episcopus legitimè natum cognoscens, & honestis moribus præditum instituit, sicut ex *antiquo Codice* supplet Antonius Augustinus. Abbatissa, quæ sibi vindicabat Jus Patronatus, alium Clericum dicto Episcopo præsentavit, quem cum Episcopus noluisset recipere, ipse ad superiorem *Metropolitanum Cantuariensem* Archiepiscopum configuit, & de Episcopo querelam depositus, qua permotus Archiepiscopus, causâ non cognitâ, dicto Episcopo protinus injunxit, ut remoto Clerico à Milite conductore præsentato, secundo loco præsentatum ab Abbatissa induceret in possessionem. Cui præcepto obtemperavit quidem Episcopus, remoto primùm præsentato & instituto; super ea re tamen scripsit ad Sum. Pontificem, relatione totius negotii ad eum missâ, cui consultationi rescripsit Alexander III. ad Episcopum Herefordensem & Abbatem quendam, quibus mandat, ut imprimis ante principalis negotii disquisitionem de Jure Patronatus, restituatur & reformetur possessio Clerico spoliato, qui à Milite primò præsentatus fuerat, & ab Episcopo Diœcelano institutus. Quam restitucionem colligimus ex *antiqua Decretali* hoc loco: *restitutione autem factâ causam audiatis*, id est causam principalem de Jure Patronatus, cui com-

petat : cuius disceptandæ & judicandæ formulam ex Juris Canonici regulis depromptam proponit : ut si constiterit villam & universitatem villæ , id est universa ab Abbatissa generaliter locata , non excepto jure Patronatus ; tunc præsentatus à Milite & primo loco institutus præferatur secundo præsentato ab Abbatissa . Idemque judicandum ait , si ante motam controversiam ab Abbatissa , præsentatus à Milite institutus fuerit . Quod ita pleniùs explicandum secundum sententiam Innocentii IV . Otiensis & Joannis Andreæ ad hoc Capitulum , ut quamvis Abbatissa nominatum Jus Patronatus excepisset , proindeque Miles verus Patronus non foret ; si tamen verus Patronus existimabatur , & præterea in pacifica & quiera possessione præsentandi antea fuisset ; ab eo præsentatus præferatur hac vice , nullo imposterum præjudicio generando Abbatissæ , si postea Patronatus jus ad se pertinere probaverit . A contrario si Abbatissa possessionem Militis interrupisset , quamvis antea in possessione præsentandi foret Miles , turbata ejus possessione removebitur ab eo præsentatus , si postea probaverit Abbatissa Jus Patronatus liquidò ad se pertinere : quia in locatione contrahenda nominatum sibi jus Patronatus retinuerat & exceperat , sicut in celebri capit. cum Bertoldus 18. de sententia & re judicata , in cuius integra Decretali , qui pignori dedecrat curiam vel villam , dominus sibi Patronatus jus specialiter retinuerat & exceperat .

Additur in fine hujus capituli : ita quod si Abbatissa obtineret adversus Militem , illi de temporalibus debeat respondere . Ex quibus rectè colligunt Interpretes Militem in possessione plena Juris Patronatus & præsentationis fuisse , quia Rei partes sustinebat . Potuit verò tantum obtinere Abbatissa adversus Militem , si probasset se nominatum in villæ locatione facienda , excepisse & retinuisse Jus Patronatus , & interrupisse possessionem præsentationis , quam Miles sibi vindicabat : ita tamen ut si obtineat Abbatissa , Mili de temporalibus respondeat ; id est si à persona , seu Rectore Ecclesiæ illius , jure fundationis , id est lege & conventione apposita in fundatione , certa pensio vel redditus debeatur Abbatissæ , conductori Militi præstari debeat .

Et quidem ex hoc capitulo multa colliguntur . Et primò eum , qui dejectus fuit ex possessione , non tantum per vim , sed etiam præcepto Archiepiscopi , ut in hoc capit. sive autoritate & sententia Judicis ; prius restituendum esse , quām de principali causa cognoscatur . Quod ita intelligendum , si altera parte absente , vel non auditâ , sententia illa probata fuerit : quod ex Jure Civili desumptum Lege 6. Cod. unde vi & Lege 2. Cod. si per vim vel alio modo absentis turbata sit possessio , in qua eleganter dicitur , nec imperiale rescriptum , nec locutionem Cognitoris , id est Judicis interlocutionem , altera parte absente statum possessionis immutare posse , qui omnino reformari debet , antequām principalis negotii cognitione suscipiatur . Eamque in rem elegans est epistola Symmachil . 10. epist. 46.

Secunda quæstio , quæ præcipue tractatur & deciditur in hoc capitulo , est conductioni villæ , curiæ , curtis , vel possessionis alicujus accedere jus Patronatus Ecclesiæ sitæ in dicta villa , quoties villa annexum est jus Patronatus , & ad conductorem villæ cum universitate ejusdem villæ transire ;

transire; idque exemplo venditionis receptum fuit: vendita enim universitate villæ, emptorem tacitè sequitur jus Patronatus, arg. cap. 14. hoc titulo; quamvis seorsim vendi non possit cap. 16. hoc tit. quod repetitum est ex Jure Civili, quo licet religiosa loca separatim vendi non possint; si tamen modica sint, majoris partis emptioni accedunt, nisi nominatim recipientur, id est reserventur à venditore Lege 22. 24. & 73. ff. de contrahenda emptione, & Lege 53. §. 1. ff. de action. empti, juncta Lege 10. ff. de religiosis, in quibus hæc verba notanda, si nihil vendor nominatim exceperit, vel non nominatim tibi sepulchrum excepisti, vel exceperit locum sepulchri, ad hoc ut ipse posterique ejus illo inferrentur. Quæ valdè illustrant ea, quæ infra dicemus de exceptione, sive retentione, seu reservatione juris Patronatus. D. Ambrosius lib. I. cap. 9. de Abrahamo: Sapè cum alienationibus possessionum venales fiant quæ in iisdem locis sepultura sunt. Idemque dicendum magis si hæreditatis, successio-
nis, aut alio acquirendi modo per universitatē universa simul bona alicujus acquirantur; vel etiam titulo particulari, donatione, legato, vel fideicomisso, dummodò fundo vel villæ jus Patronatus sit annexum: imò etsi pignori detur, ut in celebri capit. cum Bertoldus de sententia & re judicata, vel si locetur & infirmam detur, ut in nostro capitulo dicitur: nisi tamen his duobus postremis casibus, nominatim receptum & retentum fuerit jus Patronatus à domino proprietatis, qui locavit, sicut in dicto capit. cum Bertoldus, & hoc nostro, juxta ea, quæ docuimus ex Jure Civili. Multoque magis id admittendum in Emphyteuticario, quia plus habet juris quām conductor. Habet enim jus in ipsa re, eique utilis actio in rem Jure Civili conceditur tit. si ager veticialis vel emphyteuticarius petatur. Idem etiam multò magis dicendum in dotali prædio, cui est annexum jus Patronatus. Maritus enim Jure Civili dotis est dominus, quamvis non simpliciter, sed dotis causâ. Inst. quibus licet alienare vel non, & deciditur cap. II. hoc tit. in I. Collect. ex quo sumptum est cap. 9. hoc tit. Idem etiam in Doario, sive dotalio, in quo plenissimum jus utendi fruendi competit mulieri, & per consequens in quolibet fructuario habet locum: multoque magis in feudo, in quo vassallus plus habet juris quām fructuarius. Nam si non veteri jure, saltem novo feudorum ad hæredes vassalli feuda transeunt; ususfructus morte fructuarii finitur.

Quod de donatione *ad firmam* attingitur hoc cap. Glossa ad hæc verba *ad firmam*, ait desiderari in contractu *ad firmam*, ut utile dominium transseat. Fateor equidem cum recentioribus Interpretibus nullum esse utile dominium in jure, nequidem in donatione *ad firmam*, quam sanè videntur Constitutiones Pontificum confundere cum emphyteusi, & separare à locatione. Et sicut in emphyteusi & in feudo veteres Interpretes utile dominium transferri admiserunt, errore quidem primum, sed jure postea certo; ita & proclive fuit in donationibus *ad firmam* utile illud dominium extendere, per consequentias primi erroris. Nam Jure Civili certissimum est in emphyteusi jus in re quidem constitui, sed incognitum esse utile illud dominium. Locatio vero sive ad tempus, sive perpetua (quamvis perpetua proximè ad emphyteusim accedat) jus tamen in re non parit. Datio itaque *ad firmam*, de qua sæpius in his libris cap.

8. de decimis in 1. Collectione, capit. à nobis de decimis Extra, & capit. 2. Extra de locato & conducto, juncto cap. ult. ne Prælati vices suas, & cap. ult. de restitutione spoliatorum, significat certum & proprium genus contractus, quod excedit terminos locationis & conductionis. Desideratur enim ad contractum firmæ, ut vel ad plures annos, vel ut loquuntur, ad vitam unius vel plurium personarum constituatur, ut in veteri quadam charta anni 1002. in qua manufirma & datio in censum confunduntur. Verba notanda sunt ; (Ecclesia duobus data fuerat ad firmam) quisquis autem horum supervixerit alterum, firmiter teneat ; & ut chartula per longa tempora majorem deinceps obtineat vigorem, manibus propriis subter eam firmavimus. Sicut & rescripta Imperatorum divinâ manu subscribantur. Unde & manufirmationis hujusmodi constitutiones, & privilegia à Regibus subscripta manufirma, & manufirmationes appellantur. Et hoc est quod in dicto cap. ult. ne Prælati, dicitur : fide data firmavimus : quibus verbis præterea sacramentum, sive juramentum significatur, & subscriptio manu partium facta. Itaque solebant hæc omnia in hujusmodi contractu firmæ interponi, ad plures annos, vel ad vitam unius aut plurium, certa mercede, sive pecunia constituta, vel certa fructuum mensura & modo, & partium juramento ac subscriptionibus intervenientibus constitui : unde meritò firmæ nomen huic contractui tributum.

Postremò ad verba ultima *capituli 7.* notandum temporalia, quæ dicuntur pertinere Patronis, esse intelligenda de certis redditibus quotannis præstandis Patrono, de quibus nominatim tamen in ipsa fundatione convenisset. Nam post fundationem perfectam non poterat Patronus hujusmodi jura extraordinaria imponere Ecclesiæ, quam ipse fundaverat, ut doctissimè Glossa observavit ad *capit. cum Bertoldus Extra de sententia & re judicata.* Qua de re pleniùs dicemus ad *capit. præterea hoc titulo.*

Caput 8. 10. & 11. explicavimus in capitulo 5.

AD CAP. IX.

IN explicatione *capituli 7.* diximus institutum qui præsentatus fuit, non tantum à vero Patrono, sed etiam ab eo qui non est verus Patronus, sed pro Patrono habetur, & est constitutus in possessione ultimæ præsentationis pacificæ, non modò non posse removeri à superveniente vero Patrono, sed etiam ei præferri, qui posterius à vero Patrono præsentatus & institutus fuerit ; quamvis postea jus Patronatus evictum fuerit à vero Patrono *dicto cap. 7. & 19. hoc tit. & d. capit. cum Bertoldus de sententia & re judicata.* Nostri autem *capituli 9.* ea non est sententia, ut instituti semel in Ecclesia patronata per novos Patronos mutari non possint : qua de re nullum verbum in *hoc capitulo* ; quod pertinet ad Ordinationes Ecclesiarum ipsarum earumque statum perpetuum, non autem ad temporalem mutationem personarum & Clericorum, qui ad præsentationem Patronorum semel ab Episcopo, vel alio Prælato ritè fuerint instituti. Quod & nominatim exprimitur in *hoc capitulo*, hac regulâ propositâ, *ordinationes, mutationes & vicissitudines Ecclesiarum ab*

Advocatis, id est Patronis, vel aliis praesumti non debere. Ad eam regulam exempla peti possunt ex cap. 3. li. & 13. hoc tit. & capit. inter delegatos supra de donationibus, Can. Lege Dist. x. Et in Concilio Oxoniensi sub Stephano Archiepiscopo Cantuariensi Can. quia iuxta, tom. 3. Conciliorum parte 2. pag. 701. & Concilio Londinensi sub Gregorio IX. eodem tomo parte 2. pag. 710. his verbis. Exigit ars nostra catholica, ut unicus & in una Ecclesia sit magister perfectus, ordine, habitu, vita, scientia, & doctrina; & quod pura sit & simplex Ecclesia ordinatio. Sed objectio Diaboli multos facit in hoc dogmate deviare, dum interdum, eo suggestente, non tantum uni datur una Ecclesia, sed pluribus praetextu plurium Patronorum; ut sint plura capita in eodem corpore quasi monstrum. Qui Canon validè illustrat caput 3. hoc tit. Quid tamen diximus Ordinationem & publicum statum Ecclesiarum non posse mutari ab Advocatis vel aliis quibuscumque, ita accipiendum est, nisi mutatio & ordinatio fiat ab Episcopo aut alio superiori, causâ cognitâ, & publicâ utilitate suadente; e. c. interveniente Episcopi consensu Laici jus Patronatus Capitulis, Collegiis & Monasteriis donare possunt, & in donatione facienda antiquam immutare ordinationem, nempe ut in hujusmodi Ecclesiis pars redditum ad Monasterium vel Capitulum pertineat; pars vero ad Vicarium perpetuum, qui Monachorum consilio & nominatione ab Episcopo debet constitui. Quæ portio Vicario debita solet appellari portio congrua, sive sufficiens & congrua sustentatio, quam multis artibus & Monachi & Capitula imminuere tentaverunt semper; adversus quos frequentes querelæ & increpationes Pontificum, ut constat ex cap. 3. 10. & 12. de Prabendis; etiam vestigia quedam supersunt in cap. 11. hoc tit. in 1. Collectione.

Quod vero diximus, utilitate publica suadente & causâ cognitâ, ordinationem & antiquum statum Ecclesiarum posse innovari: non tantum in minoribus Beneficiis, sed etiam in majoribus, e. c. in Episcopatibus & Abbatii est intelligendum, præcedente accuratissima causæ cognitione, & legitimis tantam modis, e. c. per unionem, translationem, incorporationem, sive commendationem, & novam institutionem vel sedium Episcopaliū, vel novarum Parœciarum, ut constat ex Can. & quippe Causa iii. Q. 6. Can. 44. Causa vii. Quest. 1. Can. 48. 49. & 50. XVI. Quest. 1. Can. 41. XVI. Quest. 7. & Can. ult. xxv. Quest. 2. Cap. 5. & 6. XXI. Quest. 1. & cap. 3. 5. & ult. Extra de Ecclesiis adficandis. Unicum tantum illustre exemplum addemus ex Codice piarum donationum Auberti Miræi cap. 66. in quo Urbanus II. reddit Atrebatenisibus Episcopatum proprium, qui per S. Remigium Cameracensi unitus fuerat propter urbis Atrebatenis vastationem, ut constat ex Hincmaro epist. 6. editionis Moguntina. Rationem in fine Instrumenti restitutionis Sedis Episcopalis Atrebatenisibus hanc reddit. Solet enim fieri, ut Ecclesia persecutionis tempore suis ordinibus, suis populis, subsidiis etiam temporalibus destituta, aliis temporaliter committantur Ecclesiis: Postquam vero iis, quibus imminentia fuerant, Domino donante, abundare cœperunt, pristinam recipiant dignitatem.

AD CAP. XII. XXII. XXVII.

Exposuimus sententiam trium istorum Capitulorum initio explicatio-
nis *Capituli 1. & 3. supra hoc tit.* quorum hæc est brevis sententia,
Cùm ab initio Patronis ad præsentandum nullum certum tempus præ-
stitutum fuisse, posterioribus Conciliis tandem definitum fuisse, ne Eccle-
siæ diutiùs remanerent viduatæ Pastoribus. *Quamvis autem*, sicut do-
cuimus, fuerint variæ controversiæ, etiam post illa Concilia super spatio
temporis; tandem placuit vetus distinctio quorumdam Interpretum Bo-
nifacio VIII. qui definiuit ut quatuor menses Patronis Laïcis, & sex Pa-
tronis Ecclesiasticis ad præsentandum competant *cap. unico de Jure Patro-
nat. in vi.* qui à die cognitæ vacationis Ecclesiæ incipiunt currere, & conti-
nui sunt, id est currunt de momento ad momentum. Quod si intra prædicta
tempora cessaverint, ad Episcopum pertinet libera institutio & collatio;
quamvis ejusmodi Episcopi institutio, quandocumque postea contigerit
Ecclesiam vacare, non præjudicet in futurum vero Patrono. Imò hoc am-
plius licet institutus ab Episcopo propter cessationem Patroni intra dictum
ipatum, plenissimum jus habeat in Ecclesia; si tamen hoc desideraverit
Patronus, cui fortè controversia mota fuerat super jure Patronatus, post
hujusmodi institutionem poterit institutum iterum præsentare Episco-
po: quæ præsentatio nihil quidem amplius conferet instituto, proderit ta-
men plurimū Patrono. Primū enim eâ ratione constabit Patronum esse
in juris Patronatus possessione, quod maximi momenti esse docuimus ad
cap. 7. Nam qui est in possessione ultimæ præsentationis, etiamsi non sit
verus Patronus; si tamen secunda vice præsentet, & Episcopus admittat
ejus præsentationem, pro hac vice præferetur vero Patrono *dicto cap. 7.*
& 19. hoc tit. & cap. cum Bertholdus de sententia & re judicata. Con-
fert etiam ad id, ne qui vicit Patronus, iterum vexetur ab eo, qui priùs
controversiam moverat super jure Patronatus. Et præterea ut jura Patro-
natus ordinaria, vel extraordinaria, quæ vel ad commodum vel ad hono-
rem pertinere diximus; itemque moderatos redditus, quos posse in fundatio-
ne promitti fundatori diximus, ab ipso Presbytero, qui inconsulto & ces-
sante Patrono, ab Episcopo fuit institutus, redditus percipere valeat.

AD CAP. XIII. XIV. XVI. ET XXIII.

Inscriptio *Capituli 13. in veteri Collectione* sic concipitur; *Hospitala-
riis & Templariis.* Hospitalarii verò dicti sunt fratres Hospitalarii S.
Joannis Hierosolymitani; qui quidem Hospitalarii è Regno Hierosoly-
mitano Rhodum translati fuerunt, & Rhodo capta Melitam. De Templa-
riorum verò origine & progressu ita Matthæus Paris loquitur in *Henrico I.
ad annum Christi 1117.* *Viri quidam nobiles de Equestri erdine, religosi
ac Deum timentes, in manus Patriarchæ Hierosolymitani Christi se servi-
tio mancipantes, more Canonorum Regularium in castitate & obedientia,
propriaque voluntati renuntiantes perpetuò vivere sunt professi.* Ideò Tem-
plarii dicti, quod Rex Balduinus in palatio suo, quod secus templum Do-
mini, eis habitaculum concessit: Et fratres Militiæ templi vocati: quorum

prima professio erat, ut vias & itinera ad salutem peregrinorum contra latronum insidias pro peregrinis conservarent. De utrisque verò subjungit Matthæus Paris, quod ad hujus Capituli interpretationem & multa alia similia pertinet: *Cum diu in honesto starent proposito, nunc adeo professio-
nis sua humilitate neglectâ, domino Patriarche, à quo ordinis institutio-
nem & prima Beneficia suscepérant, se substraxerunt, obedientiam & de-
cimas Dei Ecclesiis substrabentes, facti sunt cunctis valde molesti.* Postea Hospitalarii & Templarii gravissimas inimicitias suscepérunt, adeo ut aliquando ad arma venerint. Idemque Matthæus Paris testatur in *Henrico III. ad annum 1259.* usque ad interencionem ferè Templarios ab Hospitalariis cæsos fuisse. Quæ omnia pertinent ad sententiam dicti Capituli 13. quod cum antiqua debet conjungi, sicut & cap. 3. 4. 5. & præcipue 7. 10. & 11. extra de privilegiis & excessibus privilegiatorum: ex quibus constat Sum. Pontifices assiduis Episcoporum & Principum conquestionibus excitatos multa constituisse adversus Templarios & Hospitalarios; imò & adversus omnes Monachos reliquos, qui sub prætextu exemptionum & privilégiorum, à Pontificibus sèpius per gratiam & obreptionem imperatorum, plurima præsumebant adversus Episcopos, Presbyteros, Laicos, & Canones non tantùm in Ecclesiis Parœcialibus, quas pleno jure obtinebant, sed etiam in quibus tantùm jus Patronatus quomodocumque acquisierant, vel titulo universali, vel particulari; e. c. per occasionem feudorum & villarum, quas acquisierant titulo emptionis, donationis, legati: quibus scilicet feudis & villis per consequencias jus Patronatus accedebat; sicut pluribus explicuimus supra ad *capit. 7. hoc tit.*

In hujusmodi itaque Ecclesiis Episcopalia jura & Parochialia & reliqua, de quibus in *Capitulo conquerente supra de Officio Judicis Ordina-
rii*, vel minuebant, vel denegabant omnino, eo colore quia cùm ipsi exempti forent, ad dictas Ecclesias, in quibus jus Patronatus adepti fuerant, eadem privilegia conabantur extendere; adeo ut in dictis Ecclesiis Presbyteros suo nutu & arbitrio proprio instituerent & destituerent, Episcopis inconsultis, contra juris ordinem. Quæ omnia districtissimè prohibentur, & alia pleraque, quæ quotidie non tantùm à Templariis & Hospitalariis, sed etiam à reliquis Religiosis exemptis usurpabantur. Hujusmodi enim privilegia exemptionis certis personis, Monasteriis, sive Collegiis exemptis concessa strictissimè concluduntur, nec ad Ecclesias vel Capellas eis concessas, in fraudem Episcoporum vel aliorum produci debent; nisi nominatim constet hujusmodi jura Episcopalia, sive Parœcialia ab Episcopis, interveniente consensu Capituli, fuisse specialiter concessa, dictis Capitulis supracitatis cap. 11. 16. 17. 19. & 21. Extra de pri-
legiis & excessibus privilegiatorum & cap. 6. & 7. Extra de Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

Ex quibus colligitur mutatione personarum & Patronorum publicum statum Ecclesiarum non ideircò immutari, sicut pluribus explicuimus ad *Capitulum 9.* Nimis in Ecclesiis vel Patronatibus Ecclesiarum quomodocunque acquisitis, id est quolibet titulo à Religiosis, vel à quibuscunque personis Ecclesiasticis Capitulis, vel Collegiis, etiam si sint exempti, Episcopalia nihilominus jura omnia & Parœcialia in hujusmodi Ecclesias integra conservantur, e. c. institutio & destitutio Clericorum, disciplinæ

inspectio & emendatio, visitatio, correctio & omnimoda jurisdictio in Ecclesiis & personas, quæ in eis ministrant, plena denique potestas, sed in spiritualibus. In temporalibus vero, aut Patronis, aut iis, quibus concessæ fuerunt Ecclesiæ, respondere tenentur cap. 1. 2. & ult. de Capillis Monachorum in 1. Collectione juncto can. 2. xvi. Qu. 7. & Can. 6. & 7. xvi.
Qu. 2. Excipe nisi pleno jure dictæ Ecclesiæ concessæ fuerint Capitulis, Collegiis, vel Monasteriis, id est tam in temporalibus quam in spiritualibus: quod accidit quoties in concessione Ecclesiarum, vel juris Patronatus non tantum intervenierunt Episcopi, sed etiam nominatim & solemniter Episcopalia & Parochialia jura remiserunt; ita tamen ut accesserit Capituli consensus: alioquin irritæ erunt concessiones hujusmodi absque Capituli consensu; nisi tamen de Episcopi Romani licentia Episcopus hujusmodi concessionem fecerit. Quod novissimo jure tandem receptum fuit, contra omnium Conciliorum Canones, & antiquum & perpetuum Ecclesiæ ordinem cap. 4. 5. 8. & penult. de iis quæ sunt à Prelatis sine consensu Capituli, & dicto Capitulo conquerente de Officio Judicis Ordinarii, cap. auditis de præscriptionibus capit. 13. de sententia & re judicata. In eam rem notanda *capitulum 3. §. in Ecclesiis & capit. 16. 17. & 21. Extra de Privilegiis.*

Ad plenam explicationem Capitum, quæ coniunximus, observandi sunt modi, quibus jus Patronatus acquiri solet, quos ad hæc verba hujus *Capituli 13. feudorum emperorum, aliterve acquisitorum* Glossa observat: & quatuor notat, successionem in universa bona Patroni, venditionem castri vel villæ cui inhæret jus Patronatus, permutationem, donationem jaris Patronatus: adde & præscriptionem; de quibus ex parte dicere antea occupavimus ad §. 1. *capituli 5. & ad cap. 7. hoc tit.* quibus pauca addemus.

Quamvis dixerimus ex Decretalibus, quæ de juris Patronatus donationibus meminerunt, nullam mentionem fieri juris Patronatus Laico donati, sed tantum juris Patronatus donati vel Ecclesiis, & Monasteriis, vel Clericis ut in *cap. 14. hoc tit.* quia tamen vix potest ullæ certa ratio differentiatione assignari in hoc articulo Laicos inter & Clericos, quibus donatur; tum etiam potissimum quia juris Patronatus habendi Laici sunt capaces; facile concesserim communii Interpretum sententiæ ad *Capitula*, quæ notavimus; non tantum Ecclesiis, Monasteriis, Religiosis, & Clericis, sed etiam secularibus purè donari posse. Purè, inquam, id est gratuitò, absque pretio vel mercede, nullo dato vel retento, sed solius liberalitatis exercendæ gratiâ, sicut à Jurisconsultis perfecta donatio explicatur. Nec illis casibus expectare consensum Episcopi diœcesani, vel Sum. Pontificis necessarium est; cum nominatim hæc necessitas nullo jure imponatur, nec etiam nominatim donatio juris Patronatus ullo loco prohibita reperiatur, sed sola venditio, vel contractus accedens ad venditionem. Sufficit ne quid lucri capitetur ex jure Patronatus, quod licet non sit spirituale, spiritualibus tamen adnexum est, vel ut D. Thomas loquitur, ad spiritualia ordinatum. Unde & quidam ex nostris Interpretibus veluti Selva in *libris de Bonis filiis*, temporalibus juribus jus Patronatus addiderunt. Prohibitæ tamen fuisse districtissimè juris Patronatus venditiones ex iis, quæ supra notavimus ad dicta *capitula*, colligitur: eamque in rem notandum insigne *Scriptum Innocentii IV* quod extat in *Additamentis ad Mattheum Parisiensem*.

dem editionis novissimæ pag. 159. & 160. quod Rescriptum scriptum est Joanni cuidam de Ordine Minorum, Nuntio Sedis Apostolicæ per Angliam. *Alienationes*, ait Pontifex, *venditiones*, seu *emptiones* de Patronatibus vel *Advocatiis Ecclesiæ*, quæ cùm spiritualibus sint annexæ, vendi vel emitaliter nequeunt, à quibusunque presumptas, vel in posterum presumendas, irritas esse decernimus: Et quicquid ex ipsis, vel ob eas circa Ecclesiæ *Paroœcialium statum* in *veneris temere immutatum*, in statum debitum de plano & absque judicij strepitu revocare procures.

Quia verò in *capit. 13.* additur, vel alio modo *jus Patronatus* acquisi-
veritis, quærerit *Glossa* de modis acquirendi *jus Patronatus*. Et quidem tra-
ctavimus supra de modis acquirendi *jus Patronatus* per universitatem ju-
ris, id est successionem ad *capit. 7.* supra, & de modo acquirendi per
accessionem, quando nempe castro, vel villa, vel feudo *jus Patronatus*
accedit. Hoc enim casu quo cuncte modo & titulo res principalis acquisita
fuerit, sive titulo emptionis, permutationis, donationis aut legati, transit
cum re principali *jus Patronatus*; quamvis specialiter & separatim *jus Pa-*
tronatus vendi non possit, ut diximus. Permutari verò separatim non admi-
serim facile: quod enim *Glossa* tentat, obtinuit tantum circa illa tempora,
quibus Laïci contra Canones & Jura Ecclesiæ & Monasteria occupa-
verant: quod postea sublatum esse docuimus ad §. 1. *capit. 5. supra*. Per-
mutationem itaque tantum juris *Patronatus* cum alio jure *Patronatus* inter
Laïcos posse admitti verisimile est, accedente Superioris Ecclesiastici con-
sensu, ne *fraus* & *simonia* sub hujusmodi contractu lateat.

Quod ad præscriptionem juris *Patronatus* pertinet, dubium non est,
quin inter Ecclesiæ & Collegia hujusmodi præscriptio possit obtinere,
titulo aliquo præcedente & bona fide, quæ semper exigitur Jure Canonico
in præscriptionibus *cap. vigilanti Extra de Præscriptionibus*. Tempus au-
tem quadraginta annorum requiritur. Cùm verò, ut diximus, & Laïci
possidendi juris *Patronatus* sint capaces, si titulo nitantur & bona fide,
quin præscribere possint jura *Patronatus*, nihil obstare videtur. Posse-
sionem verò suam tam Ecclesiæ quam Clerici & Laïci probare possunt, si
juribus, quæ *Patronis* debentur, usi fuerint assidue; e. c. si ad Ecclesiam
vacantem præsentaverint ordinandos Clericos, quod *jus Patronatus* præ-
cipuum est; si honoribus & prærogativis *Patronorum* ordinariis usi fuerint,
de quibus dicemus ad *Capitulum nobis hoc tit. vel reliquis juribus Patronis*
debitis, per tempus legitimum, id est 40. annorum, quod tandem consti-
tutionibus Pontificum definitum est ad præscriptionem Ecclesiasticam.

Caput 15. & 17. explicavimus ad §. 1. *capit. 5.* quibus illustrandi locum
insignem Iponis Carnotensis Episcopi addemus in epist. 186. pag. 319. De
emptionibus verò rerum Ecclesiasticarum, quas Monachi à Laïcis faciunt.
hoc tua Fraternitati respondemus, quia si res Ecclesiasticas de Laicorum ser-
vitute, dato pretio, liberarent, & juri Ecclesiastico & Episcopali disposi-
tioni restituerent, non solum non improbaremus, sed vehementer laudaremus.
quia non videretur esse emptio, sed à eunetis piè sentientibus laudanda re-
demptio &c. Verum quia rarus est, aut nullus, qui hac emat, nisi suis au-
suorum usibus; non est hac appellanda pia redemptio, sed inter ementes &
vendentes cupida & periculosa coemptio.

AD CAP. XVIII.

Glossa & Interpretes non convenient in proponenda vera specie *huius capituli*. Et quidem donationem juris Patronatus Episcopo factam non proprio nomine, sed Ecclesiarum, quae sibi sunt commissae, locum volunt habere in Ecclesiis tantum, quae in alterius Episcopi diocesi sunt constitutae. Quam interpretationem confirmant *Canone si quis Episcorum* xvi. *Causa Qu. 5.* Et hoc amplius addunt eo casu esse liberum singulari privilegio Episcopis quaslibet personas arbitrio suo presentare, adeo ut in eas non liceat inquirere alteri Episcopo, ad quem institutio pertinet: quod tamen in dicto *canone* non dicitur. Fit enim tantum mentio Episcopi, cui jus Patronatus competit jure proprio, e. c. ex fundatione, aut dotatione, non autem de Jure Patronatus ei donato. Præterea nulla sit mentio illius privilegii, non debere inquiri in personam, quam præsentat. Adversaretur enim juri communi & publico: & maximè interest Episcopi diocesani idoneas tantum personas instituere. Nec etiam ulla mentio in *hoc Capitulo*, utrum jus Patronatus pertinuerit ad Ecclesiæ alterius Diocesis.

Alia vero species querenda videtur, hæc nempe ex *cap. 6. de Institutionibus Extra*, ut quamvis in propria diocesi Episcopi Ecclesiæ sitæ sint, in quibus jus Patronatus quod donatum est habet locum; si tamen ad alium inferiorem Prælatum, e. c. Archidiaconum, institutionis jus pertineat, teneri Episcopum hujusmodi inferiori Prælato instituendum Presbyterum vel Clericum præsentare. Quod si institutio ad Episcopum pertineat, quia in ejus personam concurrere non possunt jura institutionis vel præsentationis, nec ipse sibi præsentare, sicut nec Patronus seipsum præsentare potest; separatae enim debent esse personæ *cap. ult. de Institutionibus*: hoc casu præsentatio cessabit & extinguebitur. Si vero communiter donatio facta fuerit Episcopo & Ecclesiæ, non poterit præsentare Episcopus, nisi adhibito consensu Capituli vel Collegii, ad quod jus illud communiter pervenit Patronatus. Quod & habet locum multò magis si Ecclesiis ipsis principaliter donatum fuerit, Episcopo eorum nomine donationem accipiente, ut in *hoc capit.* & aperte confirmatur in *cap. 4. supra de his qua fiunt à Pralatis sine consensu Capituli*.

Quod si Episcopo & Ecclesiæ simul jus Patronatus concessum fuerit, non dubito quin quamvis Episcopus ipse sibi præsentare non possit in sua diocesi, per Ecclesiam tamen adjunctam in donatione sustineri possit præsentatio, dummodo consenserit in nominatione Episcopus. Sæpius enim quod per nos obtinere non possumus, per alios & propter adjunctam personam consequi possumus; præcipue quoties agitur de jure individuo, quale est jus præsentandi, argumento *Legis 7. ff. Qui potior in pignore.*

Explicavimus *caput 12. in cap. 7. &c. caput 20. in cap. 4. & 7. supra.*